

VINDICIAE
DIVERSÆ PRO DIVERSITATE STATUS
GRATIÆ AUGUSTINIANÆ
CONTRA EXIMUM THEOLOGUM
PATREM C. R. B.
TOMO VI. CURSUS THEOLOGIÆ THOMISTICÆ
Dissert. II. Articulo 4.
QUA S.
UNA CUM SELECTIS POSITIONIBUS
DE
DEO UNO , TRINO,
ANGELIS ET GRATIA

PRÆSIDE
P. ROMANO FISCHER, Ord. Erem.
S. P. Augustini Ss. Theol. h. t. Lectore

PROPUGNABUNT
Rel. FF. WENZESLAUS KYPPER,
MARCELLINUS HOENIG.
PANTHALEON DITZ, EMERICUS STANGENBERGER,
ET BARNABAS SAUER, ejusdem Ordinis
Professi

In Conventu Moguntino die Maji Anno 1764.

MOGUNTIAE, Ex Typogr. Elect. Aul. Academ. privil.
apud Hæredes Häffner.

Per Joann. Benjam. Waylandt.

*I. Glosularius Bidentinus
franciscus ec/*

HONORIBUS
ADMODUM REVERENDORUM
ET EXIMIORUM
PATRUM ORD. EREM.
MUDO S. P. AUGUSTINI

Provinciæ Rheno-Suevicæ superiorum ad co-
mitia provincialia Spiræ celebranda con-
scriptorum.

Binf. 415 (4)
^{25w}
ADMODUM REVERENDI ET EXIMII
P A T R E S!

A ugustiniana dogmata propugno: cui,
nisi Augustiniano nomini inscri-
benda sunt? Hoc mea in vos obser-
vantia, illud debita sanctissimo Patri & op-
timo Ecclesiæ Magistro (a) reverentia atque
Generalis Antistitis nostri auctoritas impe-
ravit. Quàm provide, quàm sapienter! Au-
gustinus magnus ille dux est, tam continuis
contra hæreticos exercitatus præliis, quàm
gloriosus trophæis, qui in catholicorum PP.
Apostolicis institutionibus traditâ doctrinâ,
quam Græci Latinique Pontifices S. Spiritûs
infu-

(a) Orat. off. div. S. Gelas. ep. ad Honor. Cœlestin. ad Episc.
Gall.

infusione firmati, uno atque indissolubili
semper tenuere consensu, indutus virtute ex
alto abundantius illis omnibus laboravit, (b)
cujus duetū viginti amplius annis contra ini-
micos gratiae DEI Catholica acies pugnavit
& vicit, (c) cuius sententiis Synodorum Ca-
nones (d) conflati, condita decreta Pontifi-
cum, (e) ad cuius doctrinæ normam Pontifi-
ces catholicorum dogmata exegerunt, (f)
cuius de Gratia & libero arbitrio doctrinam
Ecclesia Catholica adoptavit in suam, (g) ad
quem hæreticorum libros Bonifacius Papa
doctissimus, (h) quæstiones difficillimas ipsi
Doctores (i) retulerunt. Quæ compendio
laudum amplissimo complexus est Cl. De-
champsius S. J. Fuit Augustinus quodam-
modo Ecclesiæ præcentor, cum Romanis
Pontificibus & conciliis ore prævivit, quod de
superbissimâ hæresi (Pelagii) judicarunt.
Fuit lingua Ecclesiæ, cum ejus verbis decreta
concepta sunt, & quæ prius fuerant Augu-

A 2

stini

-
- (b) Fulg. l. 2. de Ver. prædicta, & gratiæ c. 17. (c) Prosp.
in pref. contra Collat. (d) Araus II. (e) Duo Enchiridii
capita inserta epistolæ S. Leonis M. ad Aquilej. Episc.
(f) Euchol. P. Macedo ad 28. Augusti p. 406. Phil. Vi-
cecom. Mediolan. Episc. Catac. in notis MSS. ad c. 4.
Aug. Vindicati &c. (g) Ep. Joan. II, ad Senatores. Hor-
millia ad Postell. Suarez proleg. 6. de Grat. c. 6. n. 15.
(h) Prosp. in fine libri cont. Coll. (i) Hier. Paulin.
Prosp. Hilar. Bonifac. P. &c.

stini voces, spiritus S. oracula esse cœperunt.
Fuit ille Conciliorum dux atque ingenium,
cūm iis rationes & exempla subministravit,
quibus Pelagium ejusque complices frege-
runt &c. (k) Non capit grande volumen
infinitam ferè præconiorum multitudinem,
quibus omnium æratum ac ordinum scri-
ptores primi subsellii, non minùs judicandi
maturitate prædicti, quām liberi necessitate
adulandi, doctrinam M. Augustini admirabi-
li consensu consecrarunt. Quæ cum ita
sint, quid miramur, celeberrimæ congrega-
tionis S. Mauri Patres Doctissimos (togæ no-
stræ viros nullos profero) se Augustini di-
scipulos profiteri, Franciscum Macedo &
scriptorum copiâ & splendore munerum
Lusitanæ, Hispaniæ, Galliæ & Italiæ notis-
simum exclamasse: Augustinianus sum, Au-
gustinianissimus sum; Joannem Barsanti à
S. Antonio piarum Scholarum, qui in luce
Italiæ, Romæ in Collegio Nazareno stans
unus per aliquot dies continuos in acie ante
biennium omnes Augustini cavillatores pro-
vocavit, tanto animo ejusdem auctoritatem
fustinuisse? Hisce vestigiis insistere tantò
gloriosius puto, quanto iniquius filio dese-
rere Patrem. Patris ergo dicta tanquam mea
de-

(k) Apud Noris in Vind, c. 7.

defendere cum S. Hieronymo decretum est.
(1) Nec me quorundam seditiosæ voces, aut
intempestivæ calumniæ conturbabunt. No-
verint, qui non laborant, ut intelligent Augu-
stinum, quod facillimè possunt, sed laborant,
ut refellant, (ut ipsius dogmata cum Bajanis
Jansenianisque erroribus, confundant) quod
non possunt, (m) noverint, inquam Augusti-
num nunquam sinistræ suspicionis rumore
aspersum (n) abundantissimè spiritu veritatis
impletum (o) conditorem antiquæ rursus fi-
dei, (p) unum esse ex multis, qui profanas no-
vitates refutat; (q) noverint, non solum Ro-
manam Africanamque Ecclesiam, & per
omnes mundi partes universos promissionis
filios cum doctrinâ hujus Viri, sicut in totâ
fide, ita & in gratiæ confessione congruere.
(r) Habemus ergo ducem, qui nos in ipsa ve-
ritatis arcana, Deo viam monstrante perdu-
cat. (s) Sequar, quantum DEO adjuvante po-
tero, & quo usque me vestra, Admodum Re-
verendi & Eximii Patres, studia prosequen-
tur. Conatus meos boni habete, sapienter de-
cernite, bene vivite & valete.

Ita precor
Præses cum defendantibus.

A 3 PRÆ-

- (1) Ep. 30. ad Aug. (m) S. Aug. I. 3. oper. imp. c. 141°
(n) Cœlestin. P. ep. ad Ep. Gall. (o) Prosp. ep. ad Ruf.
(p) Hier. ep. 25. inter August. (q) I. 6. cont. Jul. c. 8.
(r) Prosp. ep. ad Ruf. (s) S. Alipius Tagalt. I. 3. Aug.
contra Academ. in fine apud Noris in Vind.

PRAEFATIO
ET
OCCASIO SCRIBENDI.

Scholaſticorum altercationes opiniomum diuerſitati coeuae ſunt & quædam perpetua. Vindiciae noſtratibus ferè proprie, quos adverſoriorum ſive iniqutias ſive importunitas vix unquam ſit positis armis clauſoque Jano respirare. Proſtratis quaqua- versum Pelagianis, plaudente Ecclesiā, relatis de bōtibus gratiae ſpoliis omiſtus viator Auguſtinus ex acie reuerrat, cūm dērepente Adrumetinorum Mo- nachorum turbæ, & Maſſiliensem pertinacia bel- lum iſtauorunt tantò periculofius, quanto & di- gnitat̄ auctoritate & opinione ſanctitatis decerta- bant; quos quidem conſenſens inter lauros Auguſtinus gravifimis scriptis compēſcens, ipſe ſe deſen- dit, mortuum. Ss. Prosper & Fulgentius, & noviſi- mis temporibus Emin. Novifus & doeliffimus Berii (rāceo, qui ab hiſ laudantur iſtituti noſtri homines,) vindicarunt, mox etiam ſeipſos,

Posterioris præcipue tradiſum L. 4. Theol. Di- ſipl. c. 9. dicam an. Auguſtinī de gratiā utriusque ſtatū ſyſtema in ſignis Theologus P. C. R. B. . . ve- lut Thomisticæ ſententiæ peremptorium ſuppetiis unde unde conſcriptis, magno argumentorum appa- ratu, tam aque, quam vix in illâ materiâ, ſollici- tudine conveſſere aggressus eſt Tom. 6. cursus Theol. Thomist. a p. 128. uſque 177. Cuius viri confuta- tionem an ignoraverit, an tanquam infelici Minervâ atten-

attentatam dissimulaverit, Doctissimus Berti, quis
conjuciat? quidquid sit, et si opellâ meâ Excellentissi-
mus auctor non egeat, luculentâ S. Augustini au-
toritate satis tectus; nec novitas mea Cl. Adver-
sarii partem doctrinæ minimam assequatur; di-
gnam tamen studio meo operam in eo vindicando
adjutoriorum discrimine collocandam putavi, in quo
ceu Augustinianæ doctrinæ fundamento evertendo
omnes prope ingenii vives & argumentandi vim
celebris Alversarius consunxit.

Adversarius invidioso Jansenii nomine, velut
præfixâ infami notâ odium conflare sanæ doctrinæ
molitur; verum Franc. Macedo non professione in-
stituti, sed doctrinæ Augustinianus, & Jansenii
apertus hostis præoccupavit cavillationem, Scrinii
D. August. Collat. 7. pag. 250 & 377. "Janse-
" nium, inquietus, peccasse non credo in eo, quod
" censuit, rectam hujusmodi divisionis adjutorio-
" rum intelligentiam clavim & filum totius Au-
" gustinianæ de gratia doctrinæ esse... distinc-
" tionemque adjutorii sine quo non, & quo Tho-
" mists non erridere, quia adjutorium sine quo non
" videtur auferre physicam illam suam prædeter-
" minationem." Gonetum sibi Macedo adversa-
rium sumvit, ego Patrem B... eo quod labefactam
a Macedo sententiam invictis momentis instaurasse,
discipulis, quorum manibus ejus opuscula frequenter
teruntur, posset videri. In stabiliendâ prius nostra
opinione, deinde in confutandâ aliena mediocriter
versabor. Et quia tota concertatio de mente S. Au-
gustini procedit, ut B... ait, ex uno Augustino
nostra petam, & aliena momenta refellam.

Siquis mibi exprobret, cuius passim placit a ve-
lut magistri amplectore ejus opinionem circa hanc ma-
teriam male à me vellicari: codem id mibi jure con-
cessum respondeo, quo illi contra Tournelium, quem,
qua parte faveret, sequitur; qua parte adversatur,
apertum se hostem in fronte librorum suorum vendi-
cans acerrime insectatur. Quo in genere et si, qui pro-
pulsat bellum, venia dignior censetur eo, qui provo-
cat: non eam tamen, quam in adversario requiri vnu-
smus in nobis desiderari moderationem.

Doctissimum Berti, qui de gloriose ejus fami-
lie viris nonnisi exquisita cum reverentia loquitur,
passim per contemptum fervidum opinionis Janse-
nianæ defensorem compellat, & quem alias modestum
non potest non fateri, semel ironicâ responsione, ut
delicatores nares subodorantur, contra modestiæ
regulas peccasse arguit. Is verò discriminem inter in-
nocentis & lapsæ creaturæ gratiam, venenatam
bærefoeos Jansenianæ radicem vociferatur, Augu-
stinianos nullo fere discriminine, nisi quod pro statu
præsenti gratias sufficientes agnoscant, à Janse-
nianis discernit; ceterum eos præcentori suo suc-
cinere afferit, non cogitans, quantam eo intem-
pestivo æstu summis omnium ordinem viris inju-
riam irroget, quāmque audacter judicium Bene-
dicti XIV. nulli aut sapientiâ, aut æquitate se-
undi, qui in Brevi anno 1745. die 31. Martii
ad fervidum illum Jansenii defensorem, uti B...
vocat Patrem Berti, dato, Norisum Romanæ
Ecclesiæ splendidissimum lumen appellat, imd
ipsum Augustinum aperie dictum discrimin in l.
de

de cor. & gr. docentem condemnnet. Hic nisi modestiae limites transgressus est Antagonista, omnemque ruptit aggerem; nihil mili verendum est, ne quā styli acrimonia justae defensionis leges excedam. Tournelio objicienti, stante præmotione, liberum non esse voluntati, eam rejicere, totus in fermentum actus, clamat, calumniam esse Scholæ S. Thomæ illiberaliter impactam Tom. 6. p. 175. Grande nos contra Adversarium moderationis documentum dabimus, rati, convicia nostræ esse malorum antidota, sed irritamenta.



A,

PARS

Status questionis declaratur.

§. I. Catholicorum in asserendo gratiæ efficacis & sufficientis discrimine tantus est consensus, ut, qui alterutram declinare cupiat, eum hinc in Semipelagianorum, inde in Janserianorum scopulos prope necesse sit impingere. In utriusque notione & modo adjuvandi, aut necessitate adstruendi, salvâ fide, controversia est. Thomistæ, sicut gratiæ naturâ suâ efficacis necessitatem ex ratione cause primæ, summaque creaturarum ab eadem dependentiæ derivandam putant, ita vel collati, vel denegati ejusmodi auxilii non aliam reddunt rationem, nisi quia Deus donorum suorum supremus & absolutus dominus est. Molina quodlibet auxilium liberi arbitrii consensu efficax reddi sustinuit. Qui mitigatum Suarezii temperamento systema Molinæ defendunt, illud inter æqualia naturâ auxilia gaudere efficiuntur, quod congruo loco, tempore, genio & dispositioni naturali hominis accommodatum impertitur. Nos in quoconque statu supernaturalis gratiæ motionem ad actus naturæ viribus superiores requirimus; sed ut sit efficax per se & prædeterminans, infirmitatis conditio & naturæ vulnus exigit; quæ cùm ex illo beatitudinis loco & statu, ubi innocentes creature, Angelos & Adamum Deus collocaverat, longe absenter, illi non opus habebant

(o)

bant adjutorio, quod dat ipsum velle, id est, ex
fere efficaci : & proinde infelices illi spiritus &
primus homo nullius uberioris gratiae ad actu
perseverandum necessariae defectu per liberum
arbitrium ceciderunt; Beati vero Angeli nullo
superadditae gratiae accessu, nullo concessione aug
mento per idem liberum arbitrium gratiam tan
tum versatili adjutum ad perseverandum fere
inflexerunt. Et hanc sententiam S. P. Augu
stini in l. de cor. & gr. quem S. Prosper pie
num auctoritatis divinae prædicat, distinctis
verbis expressam confidenter asserimus.

§. II. *Auctoritas Libri de correptione & Gra
tid.* Sentint adversarii se hujus excellentissimi
libri testimonii undequaque premi, nec iis
dem, ut ut se torqueant, expedire satis neque
unt. Quare ut infestâ hac auctoritate ^{sc} exone
rent, vel certè illam elevent, quo ratiocinio
utantur, accipite.

„ Cùm, fatente Jansenio , inquit B. . . tom.
„ 6. p. 156 &c. cum eruditissimo P. Massouliè,
„ Augustinus librum laudatum sub finem vitæ
„ composuerit, in quo duplicis adjutorii quo
„ & sine quo distinctio respectivè ad statum
„ innocentia & lapsum exprimitur, gravem
„ injuriam non solùm Augustino, sed coactis
„ adversus Pelagianos conciliis & universæ
„ Ecclesiæ inferri (ab iis, qui dictum librum
„ Augustinianæ doctrinæ clavem decantant,
„ quid enim?) sequitur ^{imo} longe aberrasse
„ S. Pro-

„ S. Prosperum, cùm dixit: *viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus viri (Augustini) ductu pugnat & vincit;*
 „ *vincit, dico, quia non patitur respirare, quod vincit.* Quæ enim victoria tot annis esse poterat, cùm arma, quibus solis victoria comparari poterat, nondum Augustinus exeruit, set &c.

„ Sequitur 2do S. Augustinum turpiter delusisse monachos Adrumetinos, quibus librum de gratiâ & lib. arb... clausum obsecratumque (nondum missâ suæ doctrinæ classi vi) mirtebat.... Insuper... quis in animum induxerit, M. Augustinum noluisse toto vitæ tempore aperte, ut Jansen. ait, docere hanc distinctionem, quæ est clavis doctrinæ, quām viginti annis tradiderat? quæ omnia indignantis animi epiphonemate concludit: Vah stultum & præposternum ordinem, Augustino prorsus indignum! „

Ecce, dum B... injuriam Augustino ab aliis illatam vindicare vult, infert ipse. Expedamus querelarum ejus sive justitiam, sive importunitatem. Ac primo, unde illos vigintianos computat B... si, ut ipse tom. 6. p. 8. scribit, ab anno 412. infestavit Pelagium & 425. librum de cor. & gr. scripsit; quomodo viginti amplius annis sine clave tradidit doctrinam? Imò quomodo tot annis bellum gerere sine hac normâ potuit Dux ille, qui pugnare 412. cœpit, 430 vivere desit? Prosper, inquiet, rationem

tionem reddat, ego succinui præcentori: Malecautus S. Prospero culpam impingit; advertat, nisi dissimulavit callidus; Prosperum non disisse: Augustinus vicit, sed acies Catholica Augustini ductu vincit; vincit, non quia statim debellatum erat, sed quia respirare non sinit, quos vincit. Vincit amplius viginti annis, quia et si arma tractare mortuus nequiverat; Prospero tamen ejusque strenuis commilitonibus arma reliquit, certandi & vincendi ordinem, quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit, S. Fulg. l. 2. de ver. præd. c. 18. Mortuus in vivis vicit, vincitque.

Stetit semper integer Augustino triumphus, quia, quoties Hydra illa Britannica novum caput contra gratiam exereret, Africanus ille Hercules continuò amputavit; et si bestia confecta adeo non fuit, ut imbecillos quosdam motus non ederet.

Nec melior est altera, quam infert, consecutio. Si enim hoc delusisse est, non statim edidisse plenissimam rei controversæ explicationem, & dilucidatoria postea scripta evulgare: omnes, quotquot epistolam 105. ad Sextum. & libros priores libro de gratia & libero arbitrio legerant, delusus; quia hic mox laudatus ille codex est, quem Augustinus diligenter legendum ad dissensiones componendas commendat. Num ergo in Labyrinthum concicere incautos & eosque palpitare in tenebris

volut, qui nec hūm librum in publicum emi-
serat, qui gratiæ efficacis mysteria cum liber-
tate arbitrii conciliaret? Vah stultum &c.

Reponet forsan B... siquid justæ excusa-
tionis afferre voluerit, & Augustini honorem
candoremque, quem adeò cordi haber, vindi-
care; reponet, inquam ex S. Fulg. ubi supra:
Semper vicit Augustinus, tam grānæ Dei, quam
humani arbitrii & officia discrevit & merita,
semper Divinis humana subjiciens & veraciter
docens; sed ruditas monachorum fecit, ut tra-
ditam s̄epiùs de libero arbitrio doctrinam DI-
LUCIDISSIMU repetendam judicaret; vel etiam
continua lucta Athletam gratiæ magis magis-
que exercuit, ut copiosius distinctiùsque scri-
benulo omnes dubitandi causas amputaret. Bene
habet: ergo nec opus erat antea exprofesso tra-
dere distinctionem adjutoriorum diversis stati-
bus accommodatorum, cùm nulla necessaria
quæstio de eâ incideret. Hoc si Jansenius dicere
tantum voluit, non est vehementer, quod ar-
guam. Quoad cætera non hæretici, sed Au-
gustinianorū apologeticam scribo; si tamen ad-
versarius discrimen inter utrosque intercedere
putet. De necessitate gratiæ ad actus superna-
turales cum Pelagio, quam in uroque statu
negabat, contentio fervebat; de infirmata per
Adæ peccatum naturâ & libero arbitrio, &
consequenter de magno adjutorio gratiæ ejus-
que cum libertate concordiâ postea bellum in-
gruebat. Hos errores debellandos primius su-
fice-

sceperat dux Catholicæ aciei. Hæc quæstio de
gratiâ Adæ & Angelorum postea ex Semipe-
lagianis fontibus hausta & immissa est. „ Mo-
nachis importunius quærentibus (en B...
„ ipse , cur Augustinus hunc librum scrip-
„ rit , rationem exscribit) cur Deus deneget
„ justis gratiam necessariam ad perseverandum,
„ & tamen ille culpetur , qui non perseveret?
„ Respondet Aug. justis temporaneis subtrahi
„ gratiam , quia non sunt à massa perditionis
„ æternâ Dei prædestinatione discreti , id est ,
„ subtrahitur propter peccatum originale ; at
„ reponebant : quid de ipso primo homine
„ sentiat Aug... nondum quippe erat illa in
„ genere humano massa , antequam peccasset.
„ Concludit Aug. respondens-difficultati ob-
„ jectæ: Adjutoria distingueda esse: aliud est
„ adjutorium sine quo aliquid non fit , & aliud
„ est adjutorium , quo aliquid fit... Primo ita-
„ que homini datum est adjutorium perseve-
„ rantiæ non quo fieret , ut perseveraret , sed
„ sine quo per liberum arbitrium perseverare
„ non posset. Nunc verò sanctis &c „ c.12. En
causam ! en doctrinam ! facit nempe nova que-
rimonia , facit difficultas abstrusa aut aliò pro-
vocata oratio , discentium stupor , pertinacia
& importunitas facit . ut altius à capite distin-
ctiusque prædicemus , quæ dicta obiter fue-
rant , aut , quæ necdum attigimus , discussiamus.
Porro ipse Aug. proficenter Deo miserante se
scriptissime , non a perfectione cœpisse faterur de
dono

dono pers. c. 21. ut litium frequens tractatio
exercet actores, & causâ productâ nova sœpe
momenta eruuntur. Ceterum ex quo gratiae
efficacis necessitatem semper ex naturæ vulnere
revocavit, ex quo gratiam Angelorum nun-
quam afferuit effecisse, ut vellent; quid aliud;
quâm discrimen gratiae innocentis & lapsæ cre-
aturæ assignavit? Augustinum, non nos car-
pat Adversarius, quod ante dictum discrimen
non protulerit distinctius. Quodsi temerarium
videtur, & culpa in hostibus est, qui ante hanc
quaestione non moverunt; quid nobis insul-
tat, siquid aut novæ, aut uberioris lucis in libro
de cor. & gr. deteximus?

Quid hac nostrâ refutatione opus est? ipse
B...p. 173. destruit quam contra nos & Augu-
stinum p. 157. instruxit machinam; pauca affero,
reliqua benevolo lectori inquirenda relinquo:
Ibi malens diminutam Augustino doctrinam
tribuere, quâm veritati cedere, familiare fuit
Augustino, inquit, in materiis controversis
suam disputationem intra certos limites coer-
cere, nec plus dicere, quâm sit neesse sol-
vendis objectionibus aurdubiis interrogantium,
missis reliquis, quæ in præsentiarum videntur
minus necessaria. Id probat exemplo opusculi
de sex qq. pagan. ep. 49. ex l. 1. retr. c. 9. l. 2.
de Pec. mer. c. 17. quid ergo objicit indignum
Augustino, ac præposterum ordinem?

Te stylas iste
Conficit, & verbis proderis ipse tuis.
S. Prosp.

Id

Id notare sub finem placuit, quod probationis caput est. Ex eo libro auctoris mens ritè colligenda, & ex eo argumentum potissimum perendum est, ubi ex professo de materia, quæ in controversiam venit, tractat; præsertim si ex eo nihil retractavit, sed simul omnia priora ad arctius stringendum colligat, (eam regulam non semel ab adversariis tradi memini, qui à S. Thomâ juniore ad seniorem, ab aliis opusculis & commentariis ad ejus summam provocant, si quando sibi conciliandus videtur S. Doct.) Sed in l. de c & gr. Aug. ex professo de status & auxiliorum discrimine, & quidem jam diu multumque exercitatus, quin ullum verbum retractet, differuit; ergo ex eo libro potissimum disputandum est, qui fere totius causæ de gratia breve compendium & dilucida-
tio plenissima est. Agite! strata via est perga-
mus.

§. III. ARGUMENTUM I. Esto, quod ultimum Berti refert. breviter interdum ejus scripta repentina erunt, & quid in illis cavilletur B... diluendum. Itaque sententia de gra-
tia persé efficaci & de prædestinatione gratuitâ nexu colligantur arctissimo. Sed hanc in statu
naturæ lapsæ tantum esse gratuitam docet Aug.
de cor. & gr. c. 9. &c. Nunc autem perdito bono
merito, in his, qui liberantur, factum est donum
gratiae, quæ merces meriti futura erat. l. 14. de
civ. c. 28. Non eos jam meritis discernens, quan-
doqui-

doquidem universa massa tamquam in viciatā ra-
dice damnata est, sed gratiā discernens. & alibi.
Distingue status, compara meritum & gratiam;
& inferes, Augustinum misericordiae proprium
in hoc statu locum tribuere.

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insens natura fuit, seu quinque voluntas
Conciliare Deo, pænaque absolvere posset.

S. Prosp. car. de ingratis. c. 44.

Etsi modò gratia efficax voluntatem non
excludat; non tamen voluntas, sed gratia, quæ
in hoc opere potiores partes sibi vendicat, &
voluntatem determinat, ut velit, conciliare di-
citur; ergo cùm in creaturâ innocentia volun-
tas conciliasset, gratia voluntatem suâ vi non
determinabat, ac consequenter efficax ab in-
trinseco non fuerat. Hanc ratiocinationem, quæ
in libris Berti argumentorum aciem claudit,
quantâ reverentiâ B... prosequatur, inde col-
liges, quod eam aperte nec referat, nec integram
directè aggrediatur.

§. IV. ARGUMENTUM II. Adam potuit
cum effectu perseverare sine gratiâ efficaci ab
intrinseco, quando potuit cum effectu perse-
verare sine adjutorio, quod dat ipsum velle &
perseverare: atqui Adam potuit cum effectu
perseverare sine adjutorio quod dat velle &c.
ergo & sine gratiâ ab intrinseco efficaci. p. m.
1mò. Adam opus non babebar illo adjutorio, quod
implorant isti, id est, justi hujus status ad actu-

per-

403 (o) 44

perseverandum. Atqui isti implorant *adjutorium*, quod dat velle, ex eod. c. 11. de Cor. & gr. ergo. Vanum est effugium contra distincta Augustini verba excogitatum, dicere, Adam non egisse gratiâ sanante; Augustinus dicit; adjutorio quo perseveratur, quo fit, ut velimus, & præterea nullus, nisi insanus, dubitat, sanos & bene valentes non indigere medicinâ: quid opus erat, multis id & constanter inculcare?

P. ead. m. 2dō. Adam potuit cum effectu permanere cum *adjutorio sine quo*. Hoc non dabant velle, ergo. p. M. quando ex parte Dei & auxilii nihil amplius desiderabatur, potuit cum effectu cum solo adjutorio sine quo permanere; sed nihil desiderabatur &c. ergo. p. m. ex pl. nissimis verbis Aug. circa fin. c. 11. ut in eo (bono justitiae originalis) PERMANERET! (ne quis hâc voce POSSET male abuteretur) egebat *adjutorio gracie*, quali? sine quo id omnino non posset, non, quo fieret, ut vellet. atqui & accepérat posse, si vellet; ergo ex parte Dei nihil desiderabatur.

Confirmatur. Nihil requirebatur, quam velle, quod se tenebat ex parte Adæ; nam si (velle) habuisset, perseverasset; posset enim perseverare etiam, si vellet. ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & male. Non autem potuisset tam bene velle, quam male, si defuisset ex parte

Dei dandum auxilium, ad actu volendum ab solutè necessarium. ergò.

§. V. R.R. AA. Adam non habuisse gratiam ab intrinseco efficacem, & ideo non perseverasse, & in purâ potentia sterilem permanisse, quæ ulteriori gratiâ determinanda fuerat ad actum. Hæc quidem gratis dicta, & præoccupata fuere priori §. sed vanitas effugii magis ex mox dicendis patebit.

Arg. III. Adam potuit cum effectu perseverare cum eo adjutorio, quocum perseverarunt Angeli sancti: hi perseverarunt cum solo adjutorio sine quo per liberum arbitrium; ergo & Adam potuit cum illo per liberum arbitrium cum effectu perseverare. M. est ex c. 11. de cor. & gr. nec negari sine periculo everendi proprii systematis ab AA. potest. m. p. cum eo adjutorio perseverarunt Ss. Angeli, quod, si illis & primo homini defuisset, sine suâ culpa cecidissent. At qui hoc evidenter fuit tantum adiutorium sim quo & merè sufficiens. ergo. M. ex hoc Augustinianorum verborum c. 11. cit. contextu luce clarior est: posset ergo (Adam) permanere, si vell; quia non deerat, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vell. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cuius meritum fuisse, si permanere voluisse, sicut fecerunt Angeli Ss. qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi... si autem HOC ADJUTORIUM vel

An-

*Angelo vel homini, cùm primum facti sunt, defuis-
set; quoniam non talis natura facta erat, ut sine
divino adjutorio posset manere, si vellet, non uti-
que suā culpā cecidissent.* m. ex contextu lecto,
ubi tantum de adjutorio sine quo sermo est, satis
quidem parescit; sed ex adversarii principiis
evidenter pariter ostenditur. Nullus est, nisi
vehementer fallor, Thomistarum, qui dicat,
hominem, cui denegatur gratia ab intrinseco
efficax, sine culpā cadere peccando. Putat ta-
men B... & plures alii, culpam non esse pec-
cantis, cui defuit auxilium purè sufficiens. ergo.

§. VI. Arg. IV. c. 10. *Saluberrimè confe-
tmar, Deum... sic ordinasse Angelorum & hominum
vitam, ut in eâ prius ostenderet, quid eorum pos-
set liberum arbitrium (sanum utique, & cum
gratiâ sufficienti; quia sine hac lapsus non fuif-
set imputandus ad culpam; &, quid valeat li-
berum arbitrium infirmum cum solâ sufficiente
gratiâ quotidie adhuc triste experimentum ca-
pitur) deinde quid posset suæ gratiæ beneficium,
justitiæque judicium. At si in utroque statu homo
indigeret gratiâ victrice, quomodo utriusque
discrimen experti essemus? utrinque gratiæ
victoris robur, nullibi vires arbitrii occurris-
sent; ergo creatura innocens gratiâ victrice
non eguit.*

In depressionem liberi arbitrii, sibi relictæ,
quod nonnisi ad malum valer, dicta asserit B...
p. 167. atque in commendationem arbitrii au-

xilio efficaci suffulti. *Quid ergo?* cum Aug.
initio c. II. B. *Adam non habuit Dei gratiam?*
imò verò habuit magnam, sed disparem &c. non
ergo relictum sibi erat liberum arbitrium, nec
erat necessarium adjutorium quo. In fine enim c.
12. facit Aug. hypothesin; si perseverasset
Adam, non defuturo quidem adjutorio Dei
perseveraturum fuisse; *non tamen tali, quo in*
illo Deus operaretur, ut vellet. Deinde quale vi-
rium experimentum sumisset Deus, si liberum
arbitrium etiam sanum efficaci præmotione
eguisset? Deus certè ostendisset, iam tunc gra-
tiae suæ beneficium Ss. Angelos præmovendo,
& justitiæ judicium malos deferendo; ante-
quam desererent; hoc est, exerceisset judicium
justitiæ in eos, in quibus nec actualis, nec ori-
ginalis fuit culpa.

Quomodo hæc cum verbis Apostoli co-
hærent, qui scribit, *Deum operari in nobis*
velle & perficere? Ne ergo Augustinus Apo-
stolo repugnet, excludit quidem gratiam sa-
nantem, non applicantem. Næ Augustinus
repugnet Apostolo! Augustinus ignoravit, opini-
nor, verba Apostolica, qui librum plenum
divinâ & Apostolicâ auctoritate scripsit, qui à
conversionis suæ initio totus in lectionem S.
Pauli incubuit, qui Pelagianos eâ sententiâ ve-
luti præsentissimô telo toties confixit: quasi vero
gratia efficaciter applicans non det velle: quasi
Augustinus unquam inter gratiam medicina-
lem & applicantem efficaciter seu dantem velle
distin-

()

23

distinxisset, quasi verò illud maximè acerrimè que demonstrasset, quod nullus prudens objecisset: nempe totus in eo versatus fuisset Augustinus, ut ostenderet Angelum & sanum hominem non indiguisse gratiā sanante, bene tamen subintellexisse applicantem. *Vab præpostorum & indignum Augustino disputandi ordinem!* Audiant ergò Augustinum in verba Apostoli commentantem c. 5. de Gratia Christi: non ait (Apostolus) qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi jam & velle & operari per seipso habebant. . . sed ait: *Deus enim est, qui operatur in vobis velle &c.* Pelagianos exagitat, qui posse à Deo; agere & velle à seipsis sine omni gratiā Dei derivabant. Vigilanti præterea voce *Jam,* de quo loquatur statu Apostolus, docuit Augustinus. Sed de hoc sæpius infra.

§. VII. Arg. V. Veniamus ad ea argumenta, quibus B. . . pro evincendâ gratiâ ab intrinseco efficaci contra communes nobis adversarios depugnat, videamusque, an similes phrases, prærogativas energiasque pro utriusque statu gratia Augustinus proferat. Gratiam efficacem lapsi hominis vocat Aug. l. i. ad Bonif. c. 20. efficacissimam potestatem, l. i. cont. 2. epist. Pelag. c. 20. mirabilem & ineffabilem potestatem, operantem in cordibus hominum . . . bonas voluntates. De Gra. Christi c. 24. l. 4. cont. Jul. c. 8. inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem & voluntatem. de Præd. Ss. c. 8. l. 2. cont.

duas epis. Pelag. c. 9. & passim de cor. & gr. quā sit, ut velimus, ut hoc amemus, quod precepitur, quæ reluctantī studiū virtutis immittit, quæ dat ipsum velle, donat perseverātiām; vocat victricē delectationē, quæ facit, non posse peccare, bonum non posse deserere &c. ubi vel semel simili phrasē utitur, loquens de gratiā Angelorum? Prosp. carm. de ingrat. c. 15. canit de gratia hujus statū ipsam suum consummare opus; Aug. de prima gratia, quod velle vel non velle in libero arbitrio reliquerit. Hic cum metu & tremore operanda salus, quia Deus est, qui operatur velle; sed Aug. ll. 11. & 12. de civ. de cor. & gr. ex illo beatitudinis loco ac statu, in quibus Adam & Angelos collocavit Deus, omnem merum procul excludit & amandat. Apud Angelos admittit meritum; nunc totum gratiæ vindicat. Prima gratia erat perseverantiae potestas, bonum posse non deserere; novissima erat felicitas perseverantiae bonum non posse deserere. c. 12. de c. & g. ubi, ne quis recessus evagantibus relinquitur, nullum Augustinus discrimen inter gratiam Angelorum perseverantium & non perseverantium ac Adami statuit, sed primam gratiam potestatis propriam primo statui omnibusque communem declaravit; secundam verò delectis ex massa perditiōnis hominibus, quibus misericorditer largiri Deo placuerit, propter insirmitatem impetrari.

§. VIII.

§. VIII. Arg. VI. Quando in creaturā innocentē non invenitur ea ratio , ob quam Augustinus homini lapsō gratiam , quae dat velle , necessariam esse asseruit contra Pelagianos , nec innocentī creaturāe gratia dans velle , vel ab intrinseco efficax conceditur , nec necessaria est. Atqui hæc ratio in creatura innocentē non invenitur. ergo. p. m. Ratio illa est contracta ex Adæ peccato naturæ infirmitas & ex æquilibrio arbitriū in malum fortissimè inclinans concupiscentia. Ita totis libris de pec. mer. & ceteris contra Pelagium , de prædest. Ss. contra Julian. & in quo tanquam in nuce scriptorum suorum Iliadem conclusit Augustinus , in libro de cor. & gr. distinctis & evidenter verbis. In creaturā innocentē nulla erat infirmitas , nec ergo gratiæ potentioris necessitas. Nunc verò postquam magna amissa libertas , majoribus viribus adjuvanda infirmitas. Majores vires , potenter gratia est adjutorium quo sit , ut velimus , quod dat ipsam perseverantiam , dat ipsum velle , verbo : vi suâ efficax ; ergo hæc lapsō homini , non integro & fortissimo Adæ , non Angelis ad perseverandum necessaria erat.

R. det B... p. 170. Augustinum non assi gnare causam adæquatam , quando ab infirmitate naturæ argumentatur , vel loqui de medicinali gratiâ , non verò de applicante. Primâ responione nihil indignius Augustino , nihil vanius secundâ proferri potuit. Vel enim stuporis & imprudentiæ sapientissimum , vel mali-

gnitatis aut suspectae fidei sanctissimum Doctorem argui observo. Si enim ignoravit obvium, facile, & unicum palmare argumentum Thomisticum, & continuo inadæquatum illud obtrusit; nescio, quomodo tantâ doctrinâ existimatione vel apud ipsos Doctores floruerit. Nescio, quomodo tot annis ejus triumphus steterit, qui decretoria pugnæ arma non exeruit. Si autem non ignoravit; cur tam diu miseros in adæquatâ disputatione delusit! cur toto libro de Cor. & gr. priorum librorum nucleo & compendio nonnisi ex corruptæ naturæ infirmitate gratiæ efficacis necessitatem derivavit? Compendio res gerenda fuerat, argumentatione in pugnum contractâ: *Deus est causa prima, creatura est causa secunda à prima dependens, ergo in omni statu hæc ab illa efficaciter præmovaenda est.* Antecedens, opinor, negasset nemo: & si obsequentem magis assensum a Pelagianis, quam ab Augustinianis & Molinistis consequentia obtinuisse; primo congressu debellatum fuerat. Quid eâ argumentatione ad proferendum promptius? quid expeditius fuisset, quam brevi ratiocinio, velut unico halitu omnem distare difficultatem? quid arbagibus, quid statuum & adjutoriorum discrimine, quid procul accersito ab infirmitate argumento opus erat, quod vel ipsis Thomistis inadæquatum, & ad expediendum se a præsenti objectione assumptum ab Augustino videtur? Num bellum ex bello ferere amabat Augustinus, nec volebat

luit invicto & unicè in castris Thomisticis decretorio telo configere hostem, ut diu vincere & longā gloriari victoriā posset? quid ergo? audite ex p. 173. Auctorem nobis adversarium. Si hanc altiorem disputationem de generali providentia & motione creatoris, a quo omnia bona descendunt, hic discutere (Augustinus) aggressus fuisset, difficultates multiplicasset & novos nodos quaestioni injecisset. Quodnam superest argumentum? illud Augustini inadæquatum & partiale est; hoc Thomistarum multiplicasset difficultates; imo nec puto, ab Augustino usurpatum fuisse. Quo ergo vieti sunt hostes gratiae? Quò tandem etiam navos viros intricatae difficultates compellunt!

Verùm non tantùm Augustinum male arguit, sed etiam Concilium Arausicanum II. can. 25. Ecclesiam in orationibus, Paulum Apost. qui tum sæpius Gratiam Christi sive dantem ipsum velle invocat contra carnem adversus spiritum concupiscentem, tum ad Gal. 5. ratione reddit, cur per gratiam quamcumque bonum pertinens ad salutem non perficiamus; caro, inquit, coneupiscit adversus spiritum ut non ea, quæ vultis, faciatis. Christum denique ipsum, qui spiritum quidem promptum, carnem autem infirmam esse nobis inclamat Math. 26., qui in oratione Dominica docet invocare gratiam redemptoris, quæ liberet nos à malo, quæ nos custodiat & roboret, ne inferamur in tentationem. Utramque sententiam jam a S. Cypriano

priano usurpatam in fine c. 6. & initio c. 7. de
Dono Persev. adeo commendat Augustinus, ut
solem orationem Dominicam ad causam gratiae,
quam defendere, sufficere dixerit.

Denique S. Augustinus saltem frequen-
tissimè (negare nec B... potest) ex naturæ cor-
ruptæ infirmitate gratiae necessitatem intulit,
& cum Augustino Prosper, Zosimus, Cæle-
stinus ad Galliæ Episc. c. 8. & 11. Conc. Araas.
&c. verū B... cum in longissimo de gratia
efficaci discursu multas ex Augustino senten-
tias acervat, quæ quidem gratiae efficaciam sa-
tis exprimunt, causam autem, cur in hoc statu
tantam inesse illi vim oporteat, non reddunt;
nullam syllabam de infirmitate commemorat.
Puduit forte inadæquatâ & diminutâ argu-
mentatione, hoc est, Augustini armis pugnare,
quibus, vel ipso plaudente, tot annis victor
contra hostes gratiae exxit. Malim ego cum
Augustino & ex Augustino pugnare, quām
cum Adversario triumphare eo argumento,
quod nec Augustinus tractavit, nec Doctores
Catholici non infimæ auctoritatis in sensu à
Thomistis accepto quicquam roboris habere
perhibent.

§. IX. Arg. VII. S. Hilarius ep. ad Aug.
n. 6. scribit molestè ferre Semipelagianos, ita
dividi gratiam, quæ vel primo homini data est, vel
nunc omnibus detur, ut ille acceperit perseveran-
tiam, non quā fieret, ut perseveraret, sed sine qua
per

per liberum arbitrium perseverare non posset; nunc
vero sanctis in regnum per gratiam prædestinatis,
non tale adjutorium perseverantiae detur, sed tale,
ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine
isto dono perseverantes esse non possint, verum eti-
am, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.
Atqui non ideo molestè rulerunt, quod grá-
tiam præcisè sanantem in hoc statu infirma-
tis admiserit, sed quod eandem efficaciter præ-
determinantem voluerit; ergo pro hoc tan-
tum statu gratiam prædeterminantem Augu-
stinus admisit. p. m. quoad 1. part. ex eodem.
In hoc solum volebant à primo homine distare
omnium nostrum naturam, ut illum integris vi-
ribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine quâ
perseverare non poterat; hos autem amissis &
perditis viribus credentes tantum non solum erigat
prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. p.
m. quoad 2. part. Ex eo titulo exterminatam
voluerunt gratiam secundi Adam, quo titulo
repugnare libero arbitrio, renovere industriam,
inducere fatalem necessitatem arguebant teste
Prosp. ep. ad Aug. n. 3. Arguebant hæc ex
gratia efficaci, quatenus efficax & prædetermi-
nans est, non quatenus sanans, aliás nec Semi-
pelagiani sanantem aliquam admitterent, nec
Molinæ sectatores, quos tamen constat, non-
nisi eam, quæ suâ vi intrinsecâ efficit assensum,
gratiam aversari. ergo. Aliás etiam contra gra-
tiam Adæ excepissent; si quomodo cunque il-
lam naturâ suâ efficacem Augustinus tradidis-
set.

set. Aug. autem sano fortissimoque Adæ satis
inesse virium docebat, ut se cum gratiâ juvante
ad bonum opus applicaret; at gravi casu pro-
strato homini, non quâ posset, si vellet sur-
gere, sed quæ lapsum attolleret, gratiam requi-
rebat; & hoc pomum Eridos fuerat.

§. X. Arg. VIII. Angelorum perseveran-
tia meritum fuerat; fuisse etiam Adæ perseve-
rantia, si per liberum arbitrium permanere vo-
luissest; post casum nonnisi ad gratiam suam vo-
luit Deus pertinere, ut homo accedat ad eum, aut
non recedat ab eo. Aug. de dono pers. c. 7. de
cor. & gr. c. 9. 10. 11. 12. de civ.c. 14. c. 28. &c.
Atqui si utroque in statu tam apud perseve-
rantes Angelos, quam sanctos homines gratia
efficax ab intrinseco locum habuisset; vel utrin-
que gratia, vel utrinque meritum fuissest per-
severantia. Ergo cum in primo statu meritum
fuit, gratia efficax non fuit. Arbitraria & fri-
volia est Adversarii excusatio, Angelorum per-
severantium meritum dici, quia fine speciali
auxilio secundum communem cursum contigit.
Num illud auxilium secundum communem cur-
sum applicatum sit, nec speciale nominandum,
quod nec magnæ Angelorum multititudini, ho-
minum nulli in perpetuum est? sed de hoc adhuc
infra, ubi singulari paragrapho ille recessus &
effugium excutienda venient.

Confirmatur. Placuit Deo... ut non glorietur
coram eo omnis caro... unde non glorietur?... nisi
de

de meritis suis? quae quidem potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, id est per liberum arbitrium, propter quod, non restat liberandis, nisi gratia liberantis; ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso. c. 12. de Correp. & gratiâ. Num fortè perdidit, vel perdidisset meritum per liberum arbitrium gratiâ efficaci munitum? an tantum versatili, quacum potuisse cum effectu perseverare, si voluisse? illud repugnat. Ergo per idem liberum arbitrium gratiâ tantum versatili instratum, nec ubiiore gratiâ cumulatum habuisse meritum. Violentiam infert apertis distin-
etisque verbis Augustini, qui in alienum detorquere sensum conatur. Non dicam, lucida, sed lux ipsa sunt, quam tantum non videt, qui præoccupatos contrariâ opinione oculos habet, aut victoriæ desperatione aliò pugnam transfert.

§. XI. Arg. IX, c. 7. de dono persev. *Qui non infertur in temptationem, non discedit à Deo. Non est hoc OMNINO in viribus liberi arbitrii, QUALES NUNC SUNT: FUERAT in homine, antequam caderet. Quae tamen LIBERTAS VOLUNTATIS in illius primæ conditionis præstans, QUANTUM VALUERIT, APPARUIT IN ANGELIS, qui diabolo cum suis cadente, in veritate fletuerunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire, meruerunt; post casum autem hominis*

non-

nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere,
ut homo accedat ad eum &c. Grandis seges ar-
gumentorum hic succreducit; pauca decerpo. 1.
Augustinus comparat inter se vires liberi arbitrii innocentis & lapsi hominis; in primis potes-
tate & libero arbitrio fuisse, non labi & non
consentire in tentationem, non esse in viribus
secundi. Totum discrimen non in gratiae, sed li-
beri arbitrii inaequitatem refundit. 2. Com-
mendat libertatis in prima conditione præ-
stantiam, quæ certè non de præstantia gra-
tiae intelligenda sunt, quia hæc Christi gratia
potentior est juxta Aug. ergo præstantior.
3. Præstantia libertatis primæ conditionis ap-
paruit in Angelis, non præstantia gratiae. 4.
Dicit: Libertatem voluntatis in primæ condi-
tionis præstantia, non verò libertatem solo-
rum Angelorum sanctorum; sed totius condi-
tionis innocentis libertas in Ss. Angelis appa-
ravit: omnes continuo potuerunt, sancti so-
lùm voluere; nunquam nec hic, nec alibi præ-
stantiam gratiae sanctorum Angelorum præ-
gratia malorum extollit: ergo non gratia sed
voluntas discrevit Angelos. 5. Magis erat in
viribus liberi arbitrii sani non consentire in
tentationem, quam nunc; nunc est potentia
non conjuncta cum actu per adjutorium sine
quo; ergo fuit ibi potentia conjuncta cum
actu, dummodo quis voluit. Item hæc non
possunt intelligi de viribus gratiæ efficaci sufful-
tus; alias etiam esset in viribus liberi arbitrii in
sanctis

sanctis hujus statutis. Dicitur, nunc omnino non esse in viribus liberi arbitrii, quia & agendi potestas, & voluntatis ad actum determinatio est a gratia. Ante lapsum fuit a Deo potestas concessa, voluntatis determinatio libero arbitrio integro relata.

§. XII. Arg. X. Thomistæ docent, Adamum ad perseverandum indiguisse quidem gratiâ ab intrinseco efficaci; sed Deus ex inscrutabili judicio dare utpote donum indebitum noluit. Ait Augustinus rogatus, cur Adam non perseveraverit, nunquam ad inscrutabilia Dei judicia, nunquam ad defectum gratiæ uberioris necessariae ad perseverandum, ut loquens de perseverantia lapsi hominis, sed ad liberum arbitrium provocat; quia Adam, qui æque potuit perseverare in gratia, quam illam deserere, noluit perseverare. Deus non dedit adjutorium quo perseveraret, quia non eguit, quia factus fuerat rectus Adam, & nulla rixa a seipso adversus se ipsum tentatus. Dedit autem electis nunc, quia in malis sunt, & vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis. & nisi Deus in eis operaretur, ut vellent... infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, ut possent. c. 12. de cor. & gr. Sancti non possent, utique potentia conjuncta cum actu, non enim justis denegatur gratia, quâ possint; ergo ille Adam potuit cum suo adjutorio per-

C

se-

severare potentiam cum actu conjunctam. Imo
hac Thomistarum responsione antiquam ceci-
niasset naniam, nec satisfecisset objectis Ad-
rumetinorum. Dudum Augustinus docuerat,
quibusdam misericorditer donari perseveran-
tiam, aliis inscrutabili, justo tamen judicio de-
negari; quia omnes ex ea massa concreti sunt,
quae iret suo merito in damnationem. Hanc ut
elevarent responsionem Adrumetini, cur ne-
gata esset Adamo perseverantia, qui ex massa
damnata non erat, quarebant. Si Augustinus
priorum responsionem reddidisset, argumen-
tum non solvisset, & victus ab omnibus explo-
sus fuisset, totumque Doctrinæ fundamentum
in Adam eversum ruisset, nisi Adam cum ad-
jutorio sine quo actu perseverare sine uberiore
gratia potuisset.

§. XIII. Arg. XI. Fortissimo (Adamo Deus)
dimisit atque permisit facere, quod vellet... ta-
les vires habebat voluntas ejus, quae sine ullo fuerat
instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupi-
scientialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati &
bene vivendi facilitati perseverandi committeretur
arbitrium... In eis (sanctis) operatur & velle, ut,
quoniam non perseverabunt, nisi possint & velint,
perseverandi eis possilitas & voluntas divinæ gra-
tiæ largitate donetur... ut ideo possint, quia sic
volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, ut ve-
lint. Aug. c. 12. de cor. & gr. Augustinus hic
palmare discrimin inter primi statu ac secundi

gr-

gratiam statuit, quod Deus nunc operetur & velle: quomodo discrimen statuit, si & tunc operabatur velle in sanctis saltem Angelis? Quare discrimen assignat, si in omni statu perseverandi possibilitas & voluntas gratiae largitate donanda erat? In sanctis, quia in malis sunt, operatur & velle, ergo cum hos opponat creaturis integris, Deus in his non operabatur velle. Nunc possunt (utique potentiam conjunctam cum actu) quia sic volunt; volunt, quia Deus operatur, ut velint, ergo cum dixit saepissime creaturam innocentem posse, si velit, intelligit, potentiam cum actu conjunctam, posse: ergo non ideo voluit creatura innocens, quia Deus operabatur in illâ velle.

Prærogativa virium Adæ fuerat posse perseverare per liberum arbitrium. Prærogativa autem non fuisset, si aut ulteriore gratia, quæ operaretur velle, indiguisset, aut sine hac, tantum potentiam sterili perseverare potuisset; ergo.

§. XIV. Arg. XII. Acervatim. 1. Tale fuit adjutorium Adæ, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non, quo fieret, ut vellet. Postrema verba, quæ maximum vim continent, B... p. 164. omisit. Sed adjutorio efficaci, etiam non sanante sit, ut velimus, ergo. 2. Perseverare & deserere æquè in libero arbitrio Adami fuerat; at si necessaria fuit ad perseverandum cum effectu gratia intrinsecè efficax, non æquè in potestate liberi

C 2 arbi.

arbitrii fuisset; non enim continuò sine aug-
mento gratiæ potuisset perseverare: sive non
potuisset in sensu composito gratiæ efficacis
non perseverare, nec sine illa cum effectu per-
severare; ergo. 3. Adam non accipiebat adju-
torium perseverantiae, quo fieret, ut perseve-
raret, quia in bonis, quia rectus. creatus erat
accipiunt autem nunc secundum propositum
vocati, quia in malis sunt. Jam si tale adjuto-
rium ad perseverandum cum effectu absolute
necessarium fuisset, sensis esset Augustini:
Deus noluit ut donorum suorum dominus gra-
tiam ad actum perseverandum absolute necessa-
riam concedere Adamo, quia in sanctitate crea-
tus, filius Dei, dignusque fuerat, & ratione
habitualis gratiæ quasi quodam jure conveni-
entiae exigebat præ malis excellentioris gratiæ
munera; At Deus voluit donare hanc gratiam
lapsis hominibus, quia ex massa damnata natu-
ræ sunt filii iræ, indigni gratiâ, digni damnati-
one, in mala dispositione &c. Quis, non di-
cam, Adrumetorum aut hæreticorum illius
temporis, sed quis modò prudens sustineret
hanc argumentationem? Ergo dicendum est ex
sensu Augustini: Adam ob integritatem naturæ
non indiguit adjutorio quo perseveraret, ide-
oque nec acceperat: indigent ob infirmitatem
homines lapsi, & quibusdam misericorditer
conceditur. 4. Non dicitur donum perseveran-
tie collatum illi, qui indiget ampliore ad per-
severandum gratiâ. At Adam dicitur accepisse
adju-

••• (o) •••

37

adjutorium perseverantiae, et si non tale, quale homo lapsus interdum accipit; ergo non indiguit ulteriore gratia &c. 5. Augustinus docet, Adamum non habuisse perseverantiam, quia noluit perseverare; habiturum autem fuisse, si voluisset; velle autem in ejus arbitrio relictum fuisse; nos non dicit, habituros esse perseverantium, si velimus, & velle in nostro arbitrio relictum esse; sed &c. vide §. XIII.
Docet c. 11 Parum esse posse apprehendere bonum, & permanere, si velit (homo lapsus.) nisi etiam efficiatur, ut velit. Adam continuo potuit, si voluit, ergo non indiguit majore gratia, sicut nos. 6. l. 1. retrac. c. 15. Adae ab opere malo abstinentia summa potestas erat. Quomodo summa; si uberior necessaria erat, si illa generalis & applicans motio, sine qua nec quietquam naturalis ordinis fieri cum effetu potest, juxta Thomistas defuit? 7. Denique omnis & sola illa gratia est ab intrinseco efficax, quae operatur ipsum velle & perseverare; at hanc distinetis verbis solum attribuit Augustinus lapsi homini; (proferant Adversarii vel unum ex Augustino textum, ubi dicat gratiam datam esse Angelo vel Adae, vel necessariam fuisse, quae daret ipsum velle) ergo.

§. XV. Arg. XIII. Coquetus ex S. Thoma
T. p. q. 63; a. 9; ad 2. ex omnibus ordinibus aliquos cecidisse Angelos docet; at ex systemate Thomistico nonnili minimos cecidisse sequitur;

tur; ergo illud sistema seipsum destruit. p. m
cedidere tantum illi, qui non sunt amplioribus
auxiliis adjuti; hi fuere infimi ordinis, ergo, p.
m. juxta eosdem Thomistas Angeli secundum
quantitatem naturalium dona supernaturalia
consecuti sunt, ideoque excellentiores & sub-
limioris naturae Angelii amplioribus adjuti sunt
donis gratiae, inferiores minoribus, ergo. Quid
hic reponant Adversarii, ignoro: nisi forte
sublimioris naturae Angelos dicant potiores fu-
isse habitualibus donis, non actualibus. Sed ex
ipso hoc responso sequitur: ergo secundum
quantitatem naturalium non sunt distributa
dona supernaturalia (qualia certe sunt gratiae
efficaces).

§. XVI. Quatuor fermè sunt, in quibus
omnia Clarissimi Adversarii effugia, exceptio-
nes & tergiversationes comprehenduntur. 1^{mo}
Adamum nonnisi sufficienti adjutorio sufful-
tum fuisse, ideo mirum non esse, quod non
perseverarit. 2^{do}. Augustinum tantum loqui
de dono perseverantiae; adeoque male ad opera
alia salutaria consecutionem fieri. 3^{to}. Au-
gustinum tantum excludere gratiam sanantem,
quam utique integerimus Adam non eguit ad
actu perseverandum. 4^{to}. Augustinum suppo-
nere generalem motionem & gratiam appli-
cantem, de qua cum Pelagianis & sempelagi-
anis controversia nulla fuerat. Hæc sunt po-
strema difficultis disputationis latibula, quæ modò
excus-

excitiam. | Scrupulos, si qui planissimum nostrum sistema videntur asperare, eximam, & distinctiones ab Augustini causa & sensu longe remotas (quantum quidem ex implicatis responsis & prænnotationibus augurari licuit) num inter se & cum Augus. ni doctrinâ consentiant, sigillatim examinabo.

Quantum ad primum, omnium Angelorum tam perseverantium, quam non perseverantum atque Adami æqualem fuisse gratiam totamque diversitatem ex parte liberi arbitrii volentis vel nolentis sitam fuisse, excluso omni auxilio efficaci, in plerisque argumentis ita demonstratum puto, ut non nisi frivola elusiones & violentæ detorsiones opponi possint. Hoc adhuc observo: Augustinum plerumque cum docet, hominem posse, si velit, præsertim cum de Adam & Angelis loquitur, intelligere potentiam nullo alio auxilio reducendam in actum. I. 2. retract. c. 1. *Non est, inquit, in cuiusque potestate, quid possit; quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, sit.*

§. XVII. Quoad secundum, Nam intellige, inquit [B... p. 155. agi duntaxat de gratia perseverantiae finalis. Quanquam potissima quæstio fuerit de perseverantiae gratia, non tamen adeo ad eam fuisse restrictam disputationem, ut non etiam de aliis bonis peragendis, & malis fugiendis, temptationibusque superandis actum fue-

rit, facile perspicet, qui ep. 2. Aug. ad. Va-
lentin. c. 4. de cor. & gr. c. 7. de dono persev.
&c. legere voluerit. Quomodo autem a gratia
perseverantiae ad alias supernaturales actiones
arguatur, disertissime Doctiss. Berti contra P.
Boucat demonstrat. I. 14. c. 9. n. 26, quod eru-
ditum lectorem remitto, ne eadem decantem,
quae vir clarissimus præoccupavit. Verum con-
cedant aliquando Thomistæ, Angelorum &
Adami gratiam perseverantiae non oportuisse
esse ab intrinseco efficacem; totum illius syste-
matis Thomistici fundamentum labefactatum
corruet. Si enim salvo primæ causæ jure & su-
premo Dei Dominio, atque creaturæ depen-
dentiâ illud tam excellens in ordine supernatu-
rali opus perseverantiae sine auxilio efficaciter
prædeterminante contingere potuit, quis du-
bitet, idem de aliis virtutum actibus affirmare?
Vidit, opinor, acutissimus Adversarius, incidere
in Scyllam, qui vult vitare Charybdis, & ideo
licet hanc exceptionem commemoraverit, nec
verbulo tamen prosequitur.

§. XVIII. Quoad 3tium. B.. continuo
regerit, sanantem gratiam ab Augustino ex-
cludi. Non omnino repugno; sed infero; ergo
& efficacem ab intrinseco. Ostendant Adver-
sarii, ubi aliquando Augustinus aliam gratiam
dixerit, efficacissimas vires dare, esse invictam,
potentioram, potentissimam, adjutorium quo sit
ipsum velle & perficere, quam gratiam medi-
cina-

einalem Christi, quām gratiam, quāl nunc datur, & quidem ob infirmitatem & rebellionem concupiscentiæ. Ostendant, ubi Augustinus. Pelagianis & Semipelagianis magnum illud Christi adjutorium quo &c. probaverit esse necessarium ex ratione primi motoris & dependentiæ creaturæ. Ostendant, quis unquam Pelagianorum gratiam medicinalem Adamo & Angelis necessariam asseruerit. Et si nullus requisiverit, quid est, cur Augustinus tam prolixo discursu probet, non fuisse necessariam; ille inquam, Augustinus „cui familiare fuit in materiis controverbis... non plus dicere, quām necesse sit „solvendis objectionibus & dubiis interrogantium? B... p. 173. „Augustino non est gratia ab intrinseco efficax, nisi illud solenne adjutorium quo, hoc tantum lapsis juxta ipsum necessarium est, & quibusdam datur propter infirmitatem, ergo nulli Angelorum nec Adamo datum, imò nec necessarium fuit auxilium efficax.

Aliter Augustinus, aliter B... loquitur: Utraque tam Angeli, quām conversi & perseverantis modò hominis gratia ex sese efficax est, & applicans; hæc tamen potentior, quia & applicat & sanat, illa non sanat, ita B... Prima est, inquit Aug. quā fit, ut habeat homo justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, quā etiam fit, ut velit &c. Si hæc secunda ideo potentior est, quia illâ fit, ut velimus, quomodo & prima fecit, ut voluerit Angelus?

C 5

Sub-

Subtiliter notavit Berti l.4. c. 8. n.14. quod
cautè dissimulat B... Sive homo gratiâ unico-
sive duplico titulo indigeat, dummodo sit effi-
cax, secùmque opus certâ consecutione trahat,
ex eo non reddi gratiam potentiorem, sed so-
lùm in subiecto majorem minorémve demon-
strari indigentiam. Quid enim arguitur discri-
minis ex parte baptismatis, si in puerो macu-
lam originis tantum, in adulto simul persona-
les culpas abstergat? Num plus virtutis in eo-
dem alimento, si grandævos tantum nutriat;
pubescentes simul nutriat & augeat? &c.

B... Tom. II. p. 137. „constat, inquit,
„non auxilium sufficiens, sed gratiam habi-
„tualem esse naturæ lapsæ reparativam. „Sibi
„non constat; „nam Tom. VI. p. 162. Justifi-
„catum docet se habere, ut causam infir-
„mam, & ideo per specialissimum Dei au-
„xilium (ni fallor, actuale) sanans & roborans
„confertur ei, ut perseveret. „

§. XIX. Tota denique causæ convulsæ
moles ad generalis & specialis motionis discri-
men devolvitur. Compendio referam, quæ B..
copiosè ante solutionem objectionum exor-
nat. „Deus duobus modis influit in causas se-
„cundas; primò per ordinariam providen-
„tiā applicando vires activas ad effectus pro-
„priis virtutibus proportionatos. 2do adju-
„vando supra consuetum rerum cursum &
„conditionem virium ad aliquid, quod vires
exce-

„ excedit... Primus Dei influxus communis
„ omnibus omnino causis non recensetur inter
„ auxilia gratuita propriè dicta, non refertur
„ in Deum, ut cùm homo sanus ambulat, &
„ agros colit... at quæ ultra conditionem vi-
„ rium naturalium per virtutem aliquam speci-
„ alem à Deo gratis collatam fiunt a causis se-
„ cundis, ea dicuntur propriè fieri per Dei
„ auxilium, eique, non creaturis tribui; ut cùm
„ sterilis Elisabeth peperit. Primum influxum
„ providentiamque generalem ab Augustini
„ disputatione seponi, aut potius supponi, cu-
„ jus motio in omni agente locum habet, ut
„ notat S. Thom. totâ q. 109. & Aug. relatus
„ in probationibus... Circa providentiam &
„ modum generalem non erat Augustino con-
„ troversia, sed de gratuitis divinæ gratiæ au-
„ xiliis, & speciali adjutorio (sanante): an illo ad
„ perseverandum indiguerit Angelus & homo
„ innocens, uti nos in natura lapsa indigemus..
„ Quam ob rem in angelis perseverantibus lo-
„ cum habuit gratia per se efficax, quatenus
„ Deus per dictam motionem generalem eis
„ contulit præ aliis, ut reipsa perseverarent.
„ At justificatus in hoc statu, si secundum
„ consuetum rerum cursum, & non per spe-
„ cialissimum Dei auxilium & specialissimo
„ modo sanans ei provideretur, non perseve-
„ raret... Quod minimè fecit (id est, non per-
„ severavit) primus homo habens virtutem li-
„ beri arbitrii sani & instructi omnibus super-

„ natu-

, naturalibus habitibus, (usque huc necdum collatum. Adæ actuale auxilium invenio; sed propè aberat, ut accepisset; dicit enim), „Cui etiam aderat Deus ut primus motor, nisi ipse illi defuisse. Quod totum intelligit Augustinus per auxilium sine quo. Juxta hunc alterum vel potius utrumque dicendi modum distinctionem inter gratiam & motionem applicantem & sanantem, providentiam generalē & specialem) facilis est responsio ad omnia, quæ adversarii nobis opponunt. Hucusque confidentissimè B...

Quanquam si, ut B... ait, uterque modus coincidit, ultimus hic jam in priori §. refutatus fit; sunt tamen plura nec omnino tacenda, nec dicenda sine cura & attentione. Pag. itaque 158. An per adjutorium sine quo Augustinus justitiam originalem, aut habituale donum intellexerit, non constare inter Theologos peribet B... Quid dubitat de adjutorio justitiae originali superaddito? c. II. de cor & gr. scribit Aug. Dederat boni Deus bonam voluntatem; in illâ quippe eum fecerat, qui fecerat rectum (en gratiam originalem) dederat Et adjutorium sine quo in ea non posset perseverare, si vellet. (En donum superadditum!) subjungit: Illud adjutorium congrue vocari auxilium sufficiens. Aliud quid, nescio, in fine prænnotationum. De adjutorio quo questionem putat moveri. Imò vel maximè etiam de adjutorio sine quo, utpote cuius notione & comparatione cum adjutorio quo tota

tora objectæ ab Adrumetinis difficultatis solu-
tio continetur.

Motionem illam generalem sive applican-
tem supponi putat B... ab Augustino. Unde hoc
novit B...? An forte etiam Adrumetini & Semi-
pelagiani eam supposuerunt in sensu Thomi-
stico? Quomodo stimendum erat, ne novos
nodos questioni injiceret, si banc altiorem disputa-
tionem discutiendam Augustinus aggressus fuisset?
ut B... p. 173. ait. Si supposuerunt: miror, quo-
modo viri docti per gratiæ intrinsecam effica-
ciam libertati interitum strui Augustino obji-
cere potuerint! Miror magis, disputatorem
acutissimum Augustinum, hanc non retrorsum
calumniam, dicendo: Motio generalis & ap-
plicans, vobis non abnuentibus, non obest li-
bertati: ergo nec motio applicans & sanans. Si
non suppoluere, sed negaverunt adversarii Au-
gustini; quomodo supposuit Augustinus, quod
maxime in controversiam vocabatur? Quale ro-
bur habuit illa disputatio, quæ supposito la-
borabat?

2do. Duræ admodum mihi hæ Adversarii
phrases videntur: Gratia applicans secundum
communem providentiam non recensetur inter
gratuita auxilia, infero: ergo nec Angeli nec primi
hominis adhuc integri merita recte vocantur gra-
tia, quæ est prima propositio in Bajo damnata.
Item: Quæ ultra conditionem virium natura-
lium per virtutem aliquam specialem gratis olo-
latam sunt, dicuntur propriè fieri per Dei au-
xilium

xilium, Infero : ergo quia i grata perseverantia tantum applicans non per specialem virtutem concessa est, naturalis & non gratis collata fuit Angelis; quae nescio annon articulis ejusdem Baji 21. & 26. damnatis favere videantur? Deinde quomodo ex hoc antecedente : Influxus generalis seu gratia tantum applicans non reconsentetur inter gratuita auxilia propriè dicta &c. infertur : quam obrem in angelis perseverantibus locum habuit gratia per se efficax: Item quomodo haec congruunt : Deus non solum Angelis contulit, ut cum aliis facile perseverare possent, sed etiam eos præ aliis sic movit, ut reipsa perseverarent. Et tamen per generalem influxum omnibus agentibus communem, non per specialem perseverarunt. Quomodo generale est, quod uni præ aliis datur? Quomodo gratuitum non est, quod sine injuriâ pluribus non dabatur? Si Deo non tribuuntur, sed causæ secundæ, quae fiunt per ordinariam & generalem providentiam; quomodo B... Angelorum sanctorum perseverantiam uberiori Dei gratiae acceptam refert? Quin piorum nequidem hominum sanctæ operationes & perseverantia specialis gratiae munere contingent. Ordinariæ enim providentiæ œconomia geritur ut, qui arctiori disciplinæ se tradiderunt, obvias tentationes vincant, præcepta majora observent, & qui bene sancteque vixerint, beatâ morte defungantur. Restat ergo, ut nonnisi prodigiosas illas conversiones Latronis in cruce, Pauli,

MMXIX

Augu-

Augustini &c. (has quippe citra consuetum rerum cursum effectas legimus) inter speciales gratias referamus; quid ergo B... justificatorum perseverantiam specialissimum auxilium nominat?

3tio. Addit B.... circa finem: Aderat Adamo etiam Deus *ut primus motor*, nisi Adam illi defuisset. Mira phrasis! aderat, & tamen non aderat, aderat *ut primus motor*, & non præmovit, nequidem secundūm providentiam ordinariam, nequidem per influxum illum omnibus omnino causis communem. O te infeliciſſimum in illa beatitudinis & statūs conditione Adamum! Quare tam iniquo fato te generalis etiam providentia Dei destituit? *Primus ille motor*, inquit B... Tom. 2. p. 130. qui unumquodque movet secundūm ejus dispositionem & exigentiam, voluntatem Adami male dispositam repériens, eam juxta præsentem dispositionem movie in contrarium & malum materiale. Quānam in creatura integerrima, quæ sine omni vitio instituta fuerat, ad malum dispositio esse potuit? Secundūm conditionem virium & habituum supernaturalium exigere motionem ad bonum videtur. In nobis corrupta natura, seditionis concupiscentia viget, & voluntas prona in malum ab adolescentia sua; nec tamen continuo applicari ad peccatum exigimus. Quæ mala in illo dispositio fuerat, ubi peccatum nullum præcesserat? An quia foris pulsavit tentatio? Væ nobis! si ista semper præmotionem ad peccatum

carum materiale exigit. An flexibilitas voluntatis, & Dominium Dei? si hoc: nescio, quis in mala dispositione non sit.

4to. Quod totum intelligit Augustinus per auxilium sine quo, concludit B... Aedypum haec verba postulant. Quid intelligit? totum hoc, inquis; quod hic explicasti, opinor? Ergo gratiam applicantem & sanantem, providentiam generalem & specialem, praesentiam Dei ut primi motoris? Nec tamen perseveravit Adam? Quid ergo? An specialissimum auxilium? cum eo perseverasset, & illud lapsis tantum datur? An primum motorem? hic defuit, deficiente Adamo. Adjutorium autem sine quo si defuisset, sine culpa Adam cecidisset. Num motionem generalem? Hanc Aug. supponit; quia illa ad perseverandum applicasser, quia manente non indiguit. Num liberum arbitrium & habitus supernaturales? at praeter bonam voluntatem (habitualis) dederat & Deus adjutorium sine quo. An motionem naturalem? Sed actus supernaturalis auxilium supernaturale requirit. Videt ex his doctissimus Lector, ex prænotationibus, quibus lucem aspergi, facemque ad discernendas objectiones præferri B.. crediderat, tenebras affundi, & chaos misceri.

5to. His quidem notatis contradictionibus ultimum hunc adversarii recessum destructum satis eversumque judico; quasdam tamen subiectere rationes supererogatorias lubet. Ss. Padres & Theologi per auxilium natura sua effi-

çax nunquam concursum & influxum omni agenti communem , sed donum aliquod gratuitum divinâ largitate aliis præ aliis concessum intellexerunt ; ergo permisso etiam illo Adversarii influxu generali , haud recte probat Angelorum perseverantiam efficacis gratiæ ope contigisse . Item per concursum generalem Deus non est potior causa actionum supernaturallium quām naturalium ; per gratiam efficacem Deus specialis auctor operationum supernaturallium constituitur ; ergo concursus naturalis non est nomine gratiæ efficacis referendus . Præsertim quia concursum generale , creaturæque a creatore dependentiam nec Pelagius , nec semipelagiani , nec Adrumetini unquam negarunt ; negarunt autem , aut dubitarunt de gratia naturæ suâ efficaci , quâ ipsum velle in nobis efficitur ; ergo per gratiam efficacem non intelligitur concursus generalis , aut vicissim . Demum juxta B... per adjutorium sine quo intelligitur auxilium sufficiens . Angeli cum adjutorio sine quo per liberum arbitrium perseverarunt ; nullum enim præter illud concessum apud Augustinum legitur ; ergo perseverarunt cum adjutorio sufficiente .

Thomistæ tanquam certum supponere videntur , præmotionem generalem , quâ Dei salvator dominium , unius cujusque actionis efficaciter prædeterminantem esse oportere , quod nunquam probabunt , Augustinum aut supposuisse , aut ab ejus adversariis concessum fuisse ;

D

quod

quod & aliæ hodie scholæ rotundè negant, estimantes, præmotionem generalem esse insitam cum proportionatis viribus à Deo inclinationem ad objeclum universale voluntatis, quod est bonum. Quod Philosophi prolixius expendunt. Scio equidem Clarissimum Berti tueri, S. Thomæ & Ægidio nostro nostrum systema probari; attamen id nec otii, nec propositi nostri est, modò operosiùs inquirere, qui ex Augustino Augustini mentem declarandam suscepimus. Severiori quoque lege constitutionum nostrarum cautum est, quod laudatus Berti obseruat, ne in his præcipue controversis, quæ ad gratiam spectant, à S. Patris semitis deflectamus; datumque humaniter de aliorum placitis pro libitu disputare.

P A R S II.

In qua Adversarii argumenta solvuntur, & quedam Doctissimi Berti responsa stabiluntur.

§. I. **Q**uanti hujus causæ victoriā fecerit in signis Theologus B... quódque re vera explicato adjutoriorum discriminī totam systematis Augustiniani structuram inniti estimet, et si id dictum a Jansenio ferat indignus, labor ejus improbus in præsidiis unde unde conquirendis, in disponendis munendiisque sollicitudo ingens, argumento probat manifestissimo. Non solum ille profligatas a nostrarum partium propugnatoribus subnervatasque alas restituere, sed novis etiam in-

stau-

staurare supplementis allaborat ita, ut novam
prorsus & primo conspectu invictam instruere
acie videatur. Arietem, in cuius robore uni-
versa Thomistarum castra, teste Berti Tom. 10.
Diss. 4. c. 1. n. 12. confidunt plurimūm, in aciei
fronte disponit, totūque fimbriis exornat, &
integumentis circumvallat. Adductus is est ex
l. 12. de civ. c. 9. ubi vindex gratiae sic scribit.

„ Si Angeli non potuerunt facere seipsoſ
„ meliores, quām eos ille fecerat, quo nemo
„ quidquam melius facit; profecto & bonam
„ voluntatem, quā meliores eſſent, niſi ope-
„ rante adjutorio creatoris habere non potue-
„ runt; & cum id egit voluntas eorum bona,
„ ut non ad ſe ipſos, qui minūs erant, ſed ad
„ illum, qui ſumme eſt, converterentur...
„ quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quam-
„ libet bonam inopem in ſolo desiderio man-
„ furam, niſi ille, qui bonam naturam ex ni-
„ hilo ſuſ capacem fecerat, ex ſeipſo faceret
„ implendo meliorem, prius faciens excitando
„ avidiorem... Iſti autem, qui cum boni cre-
„ ati eſſent, tamen mali ſunt malā propriā vo-
„ luntate, quam ſola natura non fecit (ut mali
„ cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono)
„ aut minorem acceperunt amoris Divini gra-
„ tiā, quām illi, qui in eadem perſtiterunt; aut
„ ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malā
„ voluntate eadentibus illi ampliū adjuſti ad eam
„ beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam
„ caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt; ſicut

„ jam (hanc voculam omittit B...) etiam in
 „ libro, quem sequitur iste, tractavimus. Con-
 „ fitendum est igitur curi debita laude crea-
 „ toris , non ad solos sanctos homines perti-
 „ nere; verum etiam de Ss. Angelis posse dici,
 „ quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spi-
 „ ritum S., qui datus est eis.

Atque ut hoc testimonium decretorium
 instar Equi Trojani videri possit, copiosum at-
 que ad certum systematis nostri excidium in-
 structissimum argumentorum delectum ex eo
 producit.

Primum est: Nulla creatura potest se me-
 liorem facere , quam a Deo facta est ; Angeli
 nullo posteriori auxilio accepto , quod in eis
 operaretur , ut vellent , se fecissent meliores ,
 quam Deus eos fecerat ; melior est enim , qui
 actu perseverat , quam qui tantum potest ; ergo
 ne a se perseverarent , gratia efficax necessaria
 fuit.

§. II. In hoc arguento de certa qua
 victoria triumphant Adversarii ; nec merito:
 Legatur enim libri duodecimi cum undecimo ,
 ad quem Augustinus provocat , contextus , at-
 tendatur scopus scribentis , ponantur praeju-
 dicia , mox dissipatis umbris , nulloque nostræ
 sententiæ vel minimo allato incommodo , plana
 distinctaque veritas elucebit. Agite universum
 disputationis Augustinianæ argumentum præ-
 mittamus , tum ad trutinam expendamus sin-
 gula.

gula. Responsa quorundam , sicut nec probo,
ita nec tueor , nec tango . Augustinus cum pri-
oribus libri duodecimi capitibus scrutatus malæ
voluntatis causam , non invenisset ; c. 9. quæ-
rit , utrum nec bonæ voluntatis causa efficiens
ulla extaret , vel an potius Ss. Angeli , quem
habent creatorem naturæ , eundem habeant
bonæ voluntatis auctorem per Spiritum S. in
eis charitate diffusâ ? Disputat autem in hunc
modum : *Angeli facti sunt ; utrum ergo cum ip-
sis facta est bona voluntas , an sine ipsâ fuerunt
prius ? Si cum ipsis ; non est dubium , quod ab ipso
facta sit , à quo & ipsis... si autem boni Angeli fu-
erunt prius sine bona voluntate , cùmque in seipsis ,
Deo non operante , fecerunt ; meliores a seipsis ,
quā ab illo facti sunt... Ergo si non potuerunt se-
ipso facere meliores , quā eos Deus fecerat ;
profectō & bonam voluntatem , quā meliores essent ,
nisi operante adjutorio creatoris habere non possent .*
Cæciutat in meridie , qui hīc non videt , Augu-
stiniū non de actu dilectionis , quo perseve-
rarunt sancti , sed de gratiæ & charitatis ha-
bitu , (in quo creati sunt omnes) non quidem
eo torpescente & inerte , sed cum inspirato
casto , quo ad Deum converterentur , amore
differere . Hanc enim gratiam , qua natura sive
*mala prius , sive non mala melior formaliter effi-
citur , nulla utrū excellens naturæ facultas ex
suis proferre thesauris ; sed sola illa suprema
natura , cuius participatio hīc ab Augustino di-
citur , ast caute in textu allato a B... omittitur ,*

poterat inspirare. Hæc quidem eisdem prope Augustini verbis retuli; at luculentiora adhuc hujus sensus documenta dabo. *1mo.* Augustinus loquitur de illa bona voluntate, quæ simul cum natura in prima creatione infusa est; dicit enim: Deus eos cum bona voluntate id est cum amore casto, quo illi adhæreverent, creavit, simul eis & condens naturam & largiens gratiam: & sine hac nunquam Sanctos Angelos fuisse credendum est. (Dicit Santos &c. disputat namque præcipue l. 11. c. 12. & 13. de civ. & de Gen. ad lit. ut Coq. & PP. S. Mauri notant, annon mali forte nunquam boni fuerint, cùm de Sathanā legitur 1. Joan. 3. ab initio Diabolus peccat. & c. 8. erat homicida ab initio, quod tamen minus probat c. 14. & 15.) Ast gratia & charitas habituatis cum primo simul inspirato actu fuit cum natura in prima creatione infusa; non autem voluntio, vel dilectio, quæ perseverarunt; sine illâ nunquam fuerunt Angeli; bene sine hac (qua semper caruerunt mali, & sancti post amplius adjuti, dicente B... fuere); ergo de gratia habituali &c. differit Augustinus.

2do. Aug. loquitur de illâ bona voluntate, in qua Ss. Angeli manserunt, & à qua mali deficiendo mutati sunt. Hæc est evidentissimè habitualis; non actualis illa gratia perseverantiae, quam nunquam mali habuerunt juxta B... nec si habuissent, defecissent; ergo. *3to* Item de illâ differit, quæ nisi excitando avidior facta fuisset, inops in solo desiderio & iners mansisset.

Gra-

Gratia efficax actualis non est excitanda, nam est ipsa excitatio, sed habitualis. Ergo. 4^{to}. De illa voluntate sermo est, ante quam Angeli ad-huc mali, aut certe nondum tales, & tam boni (in ordine supernaturali; et si naturaliter fuissent boni) fuissent. Fuerunt autem ante gratiam perseverantiae non mali; cum gratia sanctificante simul cum natura exornati, jamjam per eadem in ordine supernaturali *Dei capaces & participes effecti*, & si in ea permanissent, aeternum beati essent; ergo. Hæc quidem solâ citati c. 9. Lectione manifesta sunt; & c. 11. de cor. & gloriarissimè bona voluntas ab adjutorio actuali distinguitur. *Dederat homini Deus bonam voluntatem*, ait Aug. in illâ quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat & adjutorium sine quo in eâ permanere non posset, si vellet. Verum quid multis demonstro, quod Adversarius B... tam candidè ipse confiteretur, quam inconsideratè, a nobis asseri, reprehendit? p. 133. Tria bona distinguit in Angelis, vel ab Augustino distingui commemorat: *primum esse bonis & malis commune, scil. bonam voluntatem, in qua omnes creati sunt.* Mox tamen suî immemor p. 128. 132. & 137. tam arbitrariâ, quam Augustino & suis metu scriptis contraria interpretatione relatam in titulo c. 9. &c. per bonam voluntatem, bonam volitionem, quam perseverarunt Angeli, vult significari, nostratumque responsionem p. 130. confutandam assumit, quanu mox p. 133. tanquam indubitatam supponit. His ergo præmissis

missis Distinguuo argumentum ad mentem Augustini: Nemo se meliorem facit, quām à Deo factus est, propriā virtute se transmutando a malo in bonum, aut statu naturali ad supernaturalem statum gratiæ, aut a flexibilitate voluntatis tam in bonum, quām malum, aut a salutis incertitudine ad immobilem beatitudinem, & ejusdem immobilitatis certitudinem C. M. Nemo se meliorem facit gratiā sufficiente per liberum arbitrium ritè utendo sibique hoc modo gloriæ meritum præ aliis comparando; subdistinguuo, pro statu naturæ lapsæ, ubi Deus propter infirmitatem per efficacem gratiam ipsum velle operatur C. pro statu naturæ innocentis, Nego M, vel potius suppositum, quod ibi Augustino de ea controversia propositum fuerit,

§. III. B... de actuali gratia Augustino sermonem esse, arguit 1mo. Quia jam justi à Deo conditi Angeli per illam bonam voluntatem ad Deum ceu ultimum finem se liberè converterunt. 2do. Quia voluntas illa inops non manfit, sed melior avidiorque a Deo facta est; 3to Quia illam habuerunt operante adjutorio creatoris, quæ duo postrema de actu quodam non de justificante gratia intelligi debent. R. ad 1. & 2. non dicit Augustinus: se converterunt actu libero ad ultimum finem, illi præ ceteris perseveranter adhærendo, sed: id egit eorum voluntas bona (NB quæ juxta B... omnibus communis, iis pariter in creatione infusa est) ut ad illum

illum ; qui summe est , converterentur id est , ille charitatis habitus non est illis otiosus & ab omni actu suspensus in creatione inspiratus , sed simul cum amore casto , ita ut illâ conversione tanquam effectu gratiæ potius ad Deum converſi fuerint , quâm se liberâ determinatione & meritoria quoad primum instans converterint . Ne autem inops meriti & consequenter præmii bona voluntas permaneret , quoniam non talis natura facta fuerat , ut sine divino adjutorio posset manere & prosequi primum dilectionis actum , si velle ; Deus adjutorio gratiæ actualis excitando ad reliquos actus fecit avidiorem , & post aliorum lapsum plenitudine beatitudinis & certissimâ permanotionis suæ scientiâ implendo fecit meliorem . Legenti Augustinum attente , de dictis meis remanere dubium nullum potest .

Excitari deinde & meliorem effici magis certè congruit gratiæ habituali , quæ etiam juxta Thomistas auxilio actuali ad operandum reducenda est , quâm gratiæ actuali , quæ excitari non debet , sed ipsa excitatio est .

B. ad 3. Non est , quod conturbet Adversarium τὸ operante adjutorio creatoris . Eadem enim gratia increata hic significatur , quæ paulò ante , ubi legitur : si boni Angeli .. bonam voluntatem in seipsis , Deo non operante fecerunt &c. Textum Aug. Enarr. in Ps. 70. commodissime exponimus : Tibi debent , quod vivunt (per dominum creationis) tibi debent , quod justè vivunt

D s (tum

(tum per justitiam infusam, tum per adjutorium
sine quo; etiam illuminati sunt, ut sapienter beati.
que viverent l. 11. de civ. c. 11.) tibi debent, quod be-
atè vivunt. (per obtentam excellentiam sapien-
tis beatæque vitæ,) quæ procul dubio non nisi cetera
na est, æternitatísque suæ certa & secura. citato
l. 8. c.

§. IV. Hæc quidem responsa sufficere ar-
bitror, nisi forte abundant. Doctissimi tamen
Berti solutio adhuc tuenda est. Resp. ille: Bo-
nos non se meliores fecisse malis Angelis, quia
in quâ utriusque gratia conditi fuerunt, in ea non
nativâ virtute, sed gratiæ beneficio steterunt,
quæ cujus generis fuerit, hic definire ad sco-
pum non pertinebat. Versatilem suffecisse ex
l. de cor. & gr. constat. Demum suis Augusti-
num verbis interpretatur, qui dicit: *Neque enim
Angeli seipso meliores fecerunt, quam a Deo fa-
cti sunt; sed in eadem bona voluntate manerunt,
in qua primum conditi sunt.* Contra quam insur-
gens B... non potuerunt, ait, se meliores fa-
cere, nisi operante adjutorio creatoris, ut fa-
ciant; sed per auxilium sufficiens non opera-
tur Deus, ut faciant, sed per auxilium quo;
ergo. R. Fallit B... aut certè fallitur; singit tex-
tus, addit, demit lacinias; non legitur apud
Aug. ut faciant, in quo vim positam putat. Ve-
rum quidem est, quòd Deus per auxilium suf-
ficiens efficaciter non operetur, ut faciant An-
geli: ast ubi dicat Augustinus de Angelis, quòd
Deus

Deus per adjutorium operetur, ut faciant, non invenio. Bonam voluntatem (gratiam sanctificantem) ait, quā meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere non potuerunt. Aliud & sono & sensu B... scribit.

Urger 2do B... Angeli non' potuerunt se facere meliores, non solum nisi cum Deo, sed etiam nisi ex Deo donante, ut ita dicam, melioritatem, quam non dat per auxilium versatile, sed efficax. Probat id: Angelii meliores facti sunt per bonum usum gratiae; sed hic ipse ex Deo est, dicente Aug. l. i. retr. c. 9. cūn omnia bona magna, media & minima ex Deo sint; sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, quæ in magnis numeratur bonis. R. Melioritas facta per gratiam sanctificantem, quam Augustinus intelligit, uti abunde probavi, nec est per auxilium sufficiens, nec per efficax propriè dictum, sed per gratiam incretam, sive a Deo creante, naturam simul cum gratia. Quoad textum Augustini ex l. i. retr. c. 9. R. Præterquam, quod usus gratiae & usus liberæ voluntatis, meo quidem judicio, non nihil inter se discrepent, agit Augustinus contra Pelagium, qui ex l. de lib. arb. contra Manichæos scripto quædam ad stabiliendos errores suos decerpserit, inferens, facultati naturali relictum esse bonum usum voluntatis, quam nihil ex peccato Adæ in se attenuatam docebat. Augustinus ergo contendit omnia tam minima id est species corporum, media, potentias animi, & magna, virtutes

res nempe, quibus nemo male utitur, præstari a
 Divina bonitate, quanquam diverso modo,
 uti patet in bonis mediis & minimis, quæ non
 nisi gratiæ latè acceptæ sunt. Igitur bonum
 usum voluntatis in naturalibus, concursui na-
 turali, in supernaturalibus Divinæ gratiæ præ-
 determinanti quidem in hoc statu servitutis
 peccati, versatili in statu innocentiae tribuimus,
 cuius virtute liberum arbitrium, nullo sibi re-
 sistente & repugnante, egreditur in actum bo-
 num. Textum Augustini ex l. 2. de pec. mer.
 c. 18. eadem arbitrariâ interpretatione inter-
 pungit, ut illos desumtos ex l. 12. de civ. c. 9.
 Si nobis, ait Aug. libera voluntas ex Deo est, quæ
 adhuc potest esse vel bona vel mala, bona verò vo-
 luntas (id est volitio, inquit B...) ex nobis est,
 melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est.
 Legat ergo interjectis quibusdam lineis Augu-
 stinum sūt interpretem: Restat, ut bonam vo-
 luntatem habeamus a Deo; alioquin nefcio, cum ab
 eo justificamur (gratia justificationis, ni fallor;
 habitualis est) quo alio munere ipsius gaudere de-
 beamus. Hæc dum respondeo, non nego, bonæ
 voluntatis nomine ab Augustino non raro au-
 xilium actuale denotari. Novi phrasin Augustini
 dicentis: qui vult facere bonum, & non potest, ha-
 bet quidem voluntatem bonam (id est auxilium
 actuale) sed adhuc parvam &c. eamque gratiam
 variis nominibus idem sonantibus describi ab
 Augustino exhibet Berti in syst. vind. Diff. 4.
 c. 1. n. 5. Non nego (quis enim Catholicorum
 nega-

negavit unquam?) tam gratiam actualem, quam
habituelam a Deo auctore inspirari. Dabo etiam,
per bonam voluntatem in citatis a B... locis
gratiam actualem sive delectationem & bonam
volitionem indeliberatam intelligi, dabo, si hanc
à nobis, non a Deo haberemus, nos fieri me-
liores a nobis, quam a Deo facti simus. Quid
inde conficies, nisi nos divinitus adipisci bonam
voluntatem, nec quidquam salutare sine gratia
perfici posse? eandem autem vi suâ efficacem
esse, ex eo præcisè non erues.

Nimis pro nobis sollicitus est Cl. P. B...
quomodo contra Molinistas eluso hocce Au-
gustini principio causam nostram sustineamus,
quærerit. Nos quidem nulli propterea bellum
movebimus, nisi illud dictum in sensu Adver-
sarii, quem ab Augustino procul abludere de-
monstravimus, accipiat. Porro ex statuto adju-
toriorum & statuum discrimine gratiam homi-
nis lapsi suâ naturâ efficacem esse oportere di-
stinctiùs concludimus. Supposito hoc principio:

§. V. Infert 2dum argumentum: Nullum
in Angelis bonum esse, quod Dei auxilium
non sit in eis operatum. Primum autem in eis
bonum est communis omnibus bonis & malis
bona voluntas, in qua omnes creati sunt. 2dum
quo boni a malis sunt discreti, est perseve-
rantia in accepta justitia. 3tum istius secundi
præmium, scilicet inamissibilis beatitudo. Pri-
mum Deus effecit creando; secundum exci-
fando

tando avidiores, adeoque aliis meliores. **3tium**,
 dum æternâ beatitudine donando implevit me-
 liores. **R.** Ostendatur Adversario antilogia sua,
 restituantur Augustini verba, abscondantur spu-
 ria, sublata est controversia. **1.** Fatetur **B.**,
 per bonam voluntatem infusam in creatione
 justitiam significari. Revocet ergo sua scripta,
 nec reprehendat nostra. **2.** Fecit Deus adjuto-
 rio suo (intelligimus *sine quo*) excitando avi-
 diores. Adversarius, non Augustinus addit *me-
 liores*. **3.** **B.**... inquit; æternâ beatitudine do-
 nando implevit *meliores*. Augustinus verò:
*bonam naturam... ex seipso Deus fecit implendo
 meliorem*. Quæ longè diversa sunt. Errat præ-
 terea summopere **B.**... si per gratiam excitan-
 tem semper significari efficacem velit. Legat
 tantum II. Articulum doctrinæ Thomisticae ad
Alexand. VII. a Gallis directæ 1663. quam idem
 Pontifex tanquam Saniorem Brevi Apostolico
 declarasse refert personatus Richardi a S. Au-
 gustino c. I. §. 14. ubi mox per excitantem, in-
 efficacem & sufficientem gratiam, idem sig-
 nificari leget.

§. VI. **3tium Argumentum.** Angeli illi,
 qui perseverarunt, amplius fuerunt adjuti, sive
 majus auxilium actuale receperunt, quo per-
 severarunt, & meliores aliis effecti sunt; ergo
 juxta Aug. Angeli Ss. indiguerunt potentiori au-
 xilio, quo perseverarent. **R.** D. A. amplius fuerunt
 adjuti, ut perseverarent N. post perseverantium
 fuerunt adjuti seu cumulati beatitudinis pleni-
 tudine,

tudine , ejusque perennitatis certissimâ , quæ adhuc ad beatam vitam desiderabatur , scientiâ , quâ in præmium permansionis suæ , consummato viæ cursu , nobilitati & in gratia confirmati sunt . C. A. Genuinam hanc esse expositionem scopus & propositum Augustini , plurium locorum consensus , modique loquendi constantia , naturalis obviâque contextus veritas , semotis præjudiciis apertissimè confirmabunt . Ac primò , cum l. 11. de civ . Augustinus de tempore creationis , de ratione beatitudinis Angelorum disputasset , dubitans interdum , an mali casus sui , ac boni permansionis suæ præscii fuerint . Resolvit omnes quoad delectationem præsentis boni , non quoad speim futuri beatos fuisse ; bonos verò post illorum lapsum tantò confidentius perennis felicitatis suæ scientiâ illustratos profitetur , quando & nos , quibus Angelorum æqualitas promittitur , ex Ss. literis ejusdem rei indubitatam notitiam haurimus . L. 12. In causam bonæ malæque voluntatis inquirit ; causam efficientem malæ nullam inveniens , bonæ eundem ac naturæ auctorem esse oportere accuratâ disputatione concludit , repetitque perseverantes Angelos post casum malorum beatitudinis plenitudinem , quæ utrisque adhuc deerat , cum scientiâ de perennitate beatitudinis esse consecutos . Et de certitudine quidem Angelorum circa beatitudinem l. 11. c. 13. actum fuisse , B... candide confiterut , sed hoc ipso aliud hic intelligi arguit , unde & manifestè

festè errat. Augustinus idem l. 12. c. 9. de civ. repetit, de quo jam præcedente libro tractaverat; sicut jam etiam, ait Aug. in libro, quem ipse sequitur, tractavimus. Atqui concedente B., tractaverat libro 11. de certitudine perpetuitatis statutis; ergo & hic tractat de eadem.

Quando alicujus auctoris textus obscurus & anceps occurrit debet is cum pluribus aliis ejusdem auctoris clarioribus conferri, & eis conformiter exponi; l. 11. de civ. c. 19. non autem plures clariores circa eandem materiam juxta unum obscurum; præsertim si ille toti Auctoris systemati opponatur. Consensio enim diversorum locorum, modique de eadem materia loquendi constantia dubiorum interpres est optima & lux obscuritatis. Textus in objectione allatus aliquo modo obscurus est, traditóque hactenus systemati videtur in sensu ab Adversariis intellecto oppositus; ast alii plures textus clariores, ad quos partim ipse Augustinus provocat, favent nostræ expositioni; ergo textus objectus debet explicari in sensu a nobis intellecto. P. m. 1. ex laudato l. 11. c. 13. *Æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt: & ita fuerunt, donec isti, qui nunc malí sunt, ab illo bonitatis lumine suā voluntate cecidissent (nota inæqualitate in cæpisse post lapsum) si pares fuerunt; post istorum ruinam illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accessit.* 2. de Cor. & gr. c. 10. *Diabolus & Angeli ejus etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriā casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc, quod*

quod eorum adderetur beatitudini , si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summam beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permanotionis acciperent, id est , ut magnâ per Spiritum S. datâ abundantia charitatis cadere ultrius omnino non possent , & hoc de se certissime nosset : banc plenitudinem beatitudinis (mali) non habebant. c. 11. Angeli sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium steterunt ipsis , & hujus mansonis debitam mercedem recipere meruerunt , tantam scilicet beatitudinis plenitudinem , quâ eis certissimum sit , semper se in illa esse mansuros. 3. De dono persev. c. 7. similem phrasin vide P.I. §. XI. 4. Ench. ad Laur. c. 28. Eo , qui diabolus fractus est , cum sociis impietatis elato... ceteri piae obedientie Domino cohæserunt , accipientes etiam , quod illi non habuerunt , certam scientiam , qua essent de sua sempiterna & nunquam casura stabilitate securi. & c. 29. Hunc modum loquendi ipse lacer codex præit ; dum Evangelista scribit : cœnabibus illis ; Paulus exponit. postquam cœnavit. Conferat B... cum his librum duodecimum & caput ejus nonum , & videat nostram interpretationem domesticam & propriam ; suam vero alienam nullo simili textu de Angelis stabilendam.

Quod textus veritas Adversarii interpretationem aspernetur, partim ex hac tenus dictis, partim ex hac observatione nostrâ elucet: Aug. ait: aut minorem Angelî mali acceperunt (nempe in creationis principio) gratiam, quam illi, qui in

E

ea

ea persisterunt. Ergo non de finali, sed de prima quaerit, annon una præ altera præscientia prærogativam adjunctam habuerit. Deinde illud: *qudm illi, qui in ea persisterunt, non recte de gratia actuali exponitur, in qua non persistere dicitur, nisi qui in vacuum illam recipit.*

B... provocat Lectorum fidem, an aliquis præjudiciis liber in his Augustini verbis: *Illamplius adjuti pervenerunt ad beatitudinem, obvié & naturaliter intellectis nostrum sensum apprehendat; nempe, ut p. 135. habet, certam scientiam esse amplius adjutorium, quo adjuti pervenerunt boni ad beatitudinem.* Provoco & ego Lectorum fidem, an per charitatem per Spiritum S. diffusam, & quidem illam, in qua persistitur, in sensu obvio intelligatur adjutorium actuale? Provoco Lectorum fidem, an Augustinus dicat: *pervenerunt ad beatitudinem.* Provoco Lectorum fidem, an Cl. Berti, quem B... hac controversia maximè infestat, (vix autem illum nominat in hoc tertio argumento, nisi probando ejusdem contra Franciscum Henno opinionem) scientiam perpetuitatis vocet adjutorium amplius, quo adjuti Angeli Ss. perseverunt ad beatitudinem? Reddat B... Augustino verba sua, reddat sua Patri Berti, & sublata est cavillatio. Augustini verba de plenitude beatitudinis, non de beatitudine vide P. II. §. I. Berti referto: „Ea propositio: fuerunt ad iuri auxilio patriæ, ut pervenirent ad patriam (sive beatitudinem) falsa est, neque a nobis

„ nobis perfertur: hæc vero: postquam in ve-
 „ ritate steterunt, fuerunt adjuti pleniori cha-
 „ ritate & scientiâ, quæ secum trahit beatitu-
 „ dinem inamissibilem patriæ, & vera est, &
 „ Augustiniana est, & frustra sophismatum
 „ impeditur machinamentis. „ Quid nobis ex-
 probrat B.. quod reprobamus ipsi ? Putida
 quædam responsa & debilia avidè arripit, ca-
 villatur, ventilat; robusta atrectare non audet,
 probare non dignatur, sed dissimulat. Voca-
 bulum *adjuti* ne perturbare possit P. II. §. 3. Ex.
 ad 3. præcavi. Quid enim prohibet intelligere
 operationem Dei sublimiorem, qua contulit
 Angelis beatitudinis plenitudinem & eam cer-
 titudine perennitatis cumulavit ?

Quod ly. amplius non semper præsentia
 beneficia denotet, ex sententia Aug. l. 19. de civ.
 c. 13. colligitur, quam B.. Tom. VI. p. 255. refert.
 Deus... dedit hominibus quædam bona... eo pacto
 æquissimo, ut quicunque mortalis talibus bonis recte
 usus fuerit, accipiat ampliora & meliora (non
 auxilia in via) scilicet ipsam immortalitatis pa-
 cem. Denique fatetur B.. p. 134. in f beatitudinem
 ab Aug. l. de cor. & gr. c. 12. vocari ad-
 jutorium, quo quis continuò beatus est; sed aliud
 esse, beatitudinem dicere adjutorium, quo
 pervenitur ad beatitudinem, quod est absurdum.
 Tollat ergo sensum absurdum, ab Augustino
 & Augustinianis alienum, reddat nostrum,
 quem fatetur verum, & cavillari desinat ob-
 torta comparatione adjutorii amplioris, quo

Romam pervenitur. Pluribus responsis D^r.
Etissimi Berti, quæ B... forte præterit, quia
cavillari nequit, supersedeo, confusus, genui-
num in data solutione Augustini sensum con-
tineri.

R. P. Henno nullo fundamento afferere,
ab Augustino traditam l. 12. de civ. c. 9. Do-
ctrinam in l. de cor. & gr. retractatam fuisse,
cum Berti & B... dicimus, & collatione testi-
moniorum probavimus; Sed qua ratione Fran-
ciscum Henno Antagonista improbat, probare
minimè possumus, eamque ad infringendam
libri de correptione & gratia auctoritatem af-
sumtam, facili conjecturâ assequimur.

§. VII. Accipite primariam consutatæ opi-
nionis Patris Henno rationem, quam R. P. B.,
p. 136. in f. affert: „Quamvis quinque aut sex
„libros priores de civ. Augustinus composue-
„rit ante librum de cor. & gr., probabilius est
„tamen, reliquos post ipsum & sub finem vitæ
„auctoris circa annum 429, quatuor annis post
„editum librum de cor. & gr. fuisse scriptos,
„ut observat Coquæus & probat Rivius. „Hæc
prima Adversarii arguendi ratio, nobis nec ul-
timò loco reponenda videtur. Id quod epidemi-
cicè demonstro. Aug. l. 2. Retract. c. 43. fate-
tur de hoc libro; *quod opus per annos aliquot me*
tenuit. Juxta Basileens: editionis anno 1515. cu-
ratores Exim. PP. Thomam Valois & Nicol.
Triveth S. Ord. Præd. quibus Coquæus con-
sen-

sentit, opus cæptum anno cccxcı (emendandus error typographi, & legendum ccccxi) perfectum est cccccxix. Ex quo calculo illi aliquot anni nimium fortasse ad annos 18. extenduntur. Norisius & cum eo Congregatio S. Mauri ad annum 413. primam, circa 426, alii an. 425 ultimam impositam esse manum demonstrant. Scripsit Aug. libros Retractionum octo annis, postquam Cæsareæ Mauritaniæ fuerat. Fuit autem ibi 418. ergo libros Retractionum scripsit anno 426. Ita l. 4. de Doct. Christ. c. 24. inter retractationem elucubrato. 2do. Retractionum libros Augustinus cæpit scribere anno electionis Eradii (ad id enim opus ad umbilicum reducendum, illum sibi Collegam poposcerat:) electus est autem Eradius Theodosio XII. & Valentiniano iterum Coss. nempe anno 426. 3tio. Aug. duos libros Retractionum teste Possidio c. 28. vitæ Aug. jam compleverat anno, quo irruptio Vandalorum in Africam contigit; contigit autem 427. cui consonat Baronius ad ann. 426. p. 496. Retractat autem Aug. libros a se dictatos & editos; ergo & libros viginti duos de civitate Dei jam dictaverat, utpote quos simul cum aliis retractat; ergo illi non modò anno 429. perfecti sunt. Baronius hoc se arctatum calculo videns, ait, nominatos quidem viginti duos destinatos, non tamen editos; quem S. Aug. ipse confutat l. 2. Retract. c. 41. Ubi quæstionem difficillimam de spirituali corpore & per illud videndo Deo,

librō viçesimo & secúndo de civ. satis se expli-
 cassē affirmat. Fundamentum Coquæi a con-
 sularu Theodori convellit. Noris H. P. c. 24.
 Quidquid sit, quocunque anno completi fue-
 rint omnes de civ. libri; sufficit eos, ex qui-
 bus controversia movetur, ante librum de cor.
 & gr. editos fuisse. Undecimum itaque anno
 415. ferè inchoatum scribit Orosius in præf.
 ad historiarum opus. Quarti decimi meminit
 ipse Aug. circa annum 420. in libro cont. Ad-
 versarium Legis & proph. c. 14. ergo eviden-
 ter ante librum de cor. & gr. completi sunt,
 quem B... annò 425. refert editum; forte etiam
 posterius ipso 426. anno vide præf. ad libros de
 civ. PP. S. Mauri; Notas eorum ad lib. unde-
 cimum & decimum quartum; præfationem ra-
 tionibus munitam ad epistolas secundæ classis
 ep. 215. ad Valent. & maxime prologum Aug.
 ad libros Retract. n. 3. ubi docet, libros suos eo
 ordine, quo scripti sunt legendos esse; ordinem
 autem ex libris Retractationum deprehendi, ubi
 Liber de cor. & gr. ultimus eorum, quos dicta-
 verat, commemoratur. Imo nec ex præfatione
 Coquæi colligeré potui, librum duodecimum
 post lib. de cor. & gr. dictatum esse. Dicit tan-
 tuimodo, confectis quinque libris, longo post
 intervallo nempe anno 418. reliquos de civ. re-
 sumtos fuisse, omnesque an. 429. completos, ex
 quo nullo modo sequitur librum duodecimum
 post 425. annum modò lucem aspexisse, de quo
 tamen quæstio h̄c agitatūr.

§. VIII.

§. VIII. Quartum argumentum ex titulo
capitis repetit B... *An sancti Angeli, quem ha-
bent creatorum naturæ, eundem habeant bonæ vo-
luntatis* (id est bonæ volitionis, qua perseve-
rarunt; en verba interpretis B...) *auctorem per
Spiritum S. in eis charitate diffusā.* Cui quæsti-
oni Aug. responder. *Confitendum est igitur cum
debita laude Creatoris non ad solos sanctos homi-
nes pertinere;* verum etiam de Sanctis Angelis
posse dici, quod charitas diffusa sit in eis &c. Vi-
des Deum (prosequitur B...) definiente Au-
gustino, bonam voluntatem operatum esse in
Angelis per effusionem alicujus novæ charita-
tis actualis, sicut operatur in viris sanctis; sub-
sumo: atqui gratia per quam Deus operatur in
viris sanctis bonam voluntatem, est gratia effi-
cax. ergo. R. Liceat mihi conformiorem Au-
gustino, sed oppositum Adversario formare di-
scursum: Non de solis sanctis hominibus, sed
& de Angelis dici potest, quod charitas sit dif-
fusa &c. Apud sanctos homines intelligitur hac
phrasí gratia habitualis; ergo & apud Angelos.
Hæc habitualis gratia proprius sanctorum cha-
racter est; cùm etiam gratias quædam efficaces
ad servanda præcepta concessæ non eos pro-
pterea justos constituant. Ostendi satis Augu-
stino quæstionem & sermonem fuisse de gratia
sanctificante. Adde ex ep. 55. ad inquisitiones
Januarii n. 19. *Quia ergo charitas Dei diffusa est
in cordibus nostris...* ideo sanctificatio in septimo
die commemorata est; ubi requies commendatur.

E 4

Quia

Quia verò nec bene operari possumus, nisi dono ejus adjuti &c. Vide num in priori gratia actualis, an in secundo intelligatur. Totum argumentum præter causam adducitur, quo nihil aliud ad summum coavincitur, nisi omnia gratiarum munera a Patre lumenum tum in Angelos, tum in homines descendere. Quis hoc negat? Aliud est, ejusdem rationis esse adjutoria hominum ac Angelorum, quod nos cum Augustino negamus. Hoc est illud testimonium in bona, ut ait B... luce collocatum. Melius judicabit benevolus Lector, vel ex hac nostra lucubratione minima, tenebris obscuratum, corruptum, detortum, fuisse; quod vindicatum satis, & nativæ luci ex propriis fontibus restitutum puto.

§. IX. Aspera & confragosa prætervecti loca, in planiores campos deducimur. Quæ cæptis obſistent impedimenta, breviori manu expediemus. Opponitur iterum Aug. Enarrat. in Ps. 32. Ubi exponens illud. verbo Domini cœli firmati sunt, Cœli, inquit, id est, Angeli solidati sunt: non a se ſibi ſolidamentum fuerunt... neque enim babuerunt aliquid a se, & tanquam ſupplementum aliquid a Deo percepérunt; Spiritu enim oris ejus non pars, sed omnis virtus eorum. Atqui si redidissent efficacem ſuo conſenſu gratiam versatilem, firmitatem a ſe ſaltem ex parte habuiffent, ſupplementūmque ex ſeipſis addidiſſent; quæ tamen negat Aug. ergo. Ex ubi negat Augustinus, quod ſupplementum a ſe An-

geli

geli habeant? Negat eos habere aliquid ex se, cui Deus supplementum addat; supplementum donis divinis ab eorum libero arbitrio accedere non negat. Illud nihilominus quantulumcumque supplementum liberi arbitrii Deo quoque tribuerendum est, a cuius Spiritu omnis virtus eorum, id est, omnis tum naturæ cùm gratiæ potestas profluxit. Solidamentum verò sive confirmationem in gratia & consummatam beatitudinem a Deo omni modo percepérunt. Audiat similem de supplemento textum. De Prædest. Ss. c. 2. in illud 2. Cor. 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; perpendant, inquit Aug. ista verba, qui putant ex nobis esse fidei cæptum, & a Deo fidei supplementum &c.* Ecce quomodo Aug. omnis boni exordium ad fontem suum referat. Ecce quomodo partium studia & præjudicia Adversarium in transversum abripiant, & dum nititur potentem Augustini auctoritatem in obsequium opinionis suæ cogere, palam ipsi adversetur.

§. X. Opponit B... ex l. de cant. novo c. 8. *quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est.* At cùm illius operis, quod nec in libris Retract. nec in Possidii indiculo memoratur, explodi auctoritatem a Cl. Berti legit; similes textus ex Serm. 11. de verb. Apost. c. 2. Ex Ench. ad Laur. c. 106. & 107. ad muniendam cautam adducit, in quibus *sine Deo, & nisi Deus adjuvaret (per efficax auxilium,*

xilium, interpretatur B...) liberum arbitrium non nisi ad malum valere declaratur. Et cum Berti respondeat, per liberum arbitrium non adjutum intelligi illud, quod viribus naturalibus præfidens, adjutorium abjicit, ut claudus baculum, sine cuius sustentaculo nequit indecere; crederes, nova allaturum argumenta; at ille textum Enchiridii repetit. ut ab eo tenetur via justitiae, parum erat velle, nisi qui eum fecerat, adjuvaret. Evidens est inquit B... quod non loquatur de Adamo contemnente & abiente auxilium versatile; cùm supponat illum aliqualiter velle tenere viam justitiae, quod certe non poterat sine adjutorio saltem sufficiente; ergo arbitratia & infundata est glossa Bertiniana. R. Adversarii glossa futilissima. Vel enim illud velle est naturale vel supernaturale. Si naturale; extra quæstionis cancellos positum est. Si supernaturale; num potuit deliberatè & merritoriè tantum velle sine gratia efficaci? si potuit; ruit fundamentum Thomistarum; si non: intelligat ibi sermonem esse de velle naturalibus viribus elicito, quod utique parum juvat. Supernaturale autem si habuisset, perseverasset Angelus; nihil enim, nisi velle a libero arbitrio desiderat Aug. toto libro de cor. & gr. Si vero rectè sensum Augustini scrutari vult B... velle illud non absolutè, quasi jam adfuisset, sed conditionatè sumendum est; id est: parum fuisse velle, quodcumque dénum nativâ virtute elictum fuisse. Mox plura. Verba Augustini, inquit

quit B.. Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in eā prius ostenderet, quid eorum posset liberum arbitrium, deinde quid gratiæ beneficium, justitiaeque judicium; ad depressionem liberi arbitrii, non ad commendationem prolata esse, quasi per acceptum gratiam sine novo adjutorio, se solo quid posset ad bonum; sed tantum quid posset ad malum. (Pauca quædam interloquar.) ni fallor, quid valeat liberum arbitrium cum gratia sufficiente ad malum, hodie satis ostenditur adhuc; ergo cùm prius de sano arbitrio Deus voluit experimentum dare, volebat primùm ostendere, quid etiam posset ad bonum, ut probationibus observavimus. Item ibi in Angelis jam justitiae judicium exerculser, quod, teste Aug. in hominem lapsum reservandum fuerat. Audet dicta sua confirmare B.. ex c. 11. de cor. & gr. liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil (Lovan. ex MSS. & veteribus excusis, pàrum) est, nisi adjutetur ab omnipotenti Deo. (Arripio oblatum tellum, & in B.. stringo, & tantum legere pergo) quod adjutorium si homo ille non per liberum deseruerisset arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet &c. Audit adjutorium, sine quo liberum arbitrium ad malum sufficit? Audit, quo adjuvandum erat ad bonum? Si efficiax: an deseruerisset? deseruit Adam; Annon loquitur de Adamo abjiciente auxilium? Audit distinctissimè Aug. Serm. XI. de verb. Apost.

Rege-

Regebat eum ipse, qui fecerat; voluit deserere eum,
 & quo factus est: permisit Deus tanquam dicens:
 deserat me, & inveniat se, & miseriā suā probet,
 quia nihil potest sine me. Hoc modo ergo ostendere
 voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat sine
 Deo. Quid evidentius? Innocentii P. testimonium
 adjungo: *Liberum enim arbitrium*, ait ep.
 ad Carthag. PP. ille (Adam) perpessus, dum suis
inconsultiūs utitur bonis (non carent amplioribus)
cadens in prævaricationis profunda demersus est.
 Reliqui omnes textus, quos p. 139. affert, prope
 ipsis verbis adjutorium sine quo exprimunt.
Ench. c. 106. habet: *nisi:...adjutorium præbere-*
tur; c. 107. *Non sine adjutorio, uti & l. 14. de civ.*
c. 27. l. 11. de Gen. ad lit. c. 4. *in sua potestate*
babet velle non consentire suadenti, adjuvante ta-
mē illo &c. Ubi Aug. unquam scripsit, Angelum sanctum perseverasse per adjutorium quo
 vel eodem indiguisse Adam. Illa similitudo Patris Berti a clando non claudicat, & actu verificatur;
 B... aliam hypothesis instituit, qua subsistente & ejus similitudo non incongrua
 esset, sed hypothesis supponit, quod est in quæstione, & vitiligatio est.

§. XI. Argumentum novum & Berti do-
 cētissimo incognitum ex Araus. II. profert B...
 quod ex ep. 106. Aug. contra Semipel. sic ar-
 guit. *Natura humana etiamsi in illa integritate,*
in qua condita est, permaneret, nullo tamen modo
seipsum creatore suo non adjuvante servaret; unde
 cum

cum sine gratia Dei salutem non posset custodire,
quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit re-
parare, quod perdidit? Ait hoc argumentum
nervorum expers esset contra Semipel. nisi effi-
cax esset necessaria gratia; poterant enim retor-
quere argumentum: Ex te eadem gratia est
necessaria ad resurgentum, quae fuit Adam ne-
cessaria ad standum; suffecit illi versatilis; ergo
& ad resurgentum sufficit. Haec argutatio Ad-
versarii sive eruditionem sive candorem prope
in periculum adducit. Quid? non adverterit
vir Eximius Concilium a minori ad majus
arguere contra Pelagianos necessitatem gratiæ?
Quid hoc argumento luculentius? Adam
non sine gratia custodire potuit, quod habuit;
quomodo lapsus sine gratia possit recuperare,
quod perdidit? Nec stare ille, gratiæ virtute
non suffultus, potuit; quomodo lapsus resur-
gere? Jam sicut plus est, se attollere a lapsu,
quam stare perseveranter, ita plus roboris in-
esse oportet gratiæ lapsi hominis quam gratiæ
stantis & integri. Quis melius & conformius
Concilio & Augustino arguat, Lector judicer.
Nos Majorem B... propositionem negamus,
penitus persuasi, non nisi necessitatem gratiæ
inde colligi, præscindendo interim, qualis pro
quotlibet statu esse oporteat.

§. XII. Nova præsidia B... a fideli Augu-
stini discipulo Fulgentio, M. Gregorio, & Mel-
lifluo Bernardo accersit. Primus l. 2. ad Tra-
mund.

mund. c. 2. scribit. *Cognoscitur cunctos Angelos uniformi ruinæ confortio opprimenti posse, nisi quos veller a casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarique non potest.*
 Cl. Berti eandem virtutem quoad principium agendi; non quoad vim effectricem designari his verbis observat, quod mihi ultima verba satis innuere videntur; Quæ enim virtus, quæ sola naturaliter mutari non potest, nisi virtus Patris, unigenitusque Filius? uti & sequentis capitum verba exprimunt, ubi *una gratia operata.. dicitur Filius Dei, qui est virtus et Sapientia Patris.* Ex quibus concludit Berti: Si una eademque gratia quoad vim effectricem in utroque statu requiritur, quomodo erit potentior, quæ sanat vulnera? & si haec validior, quomodo est eadem? Hac acutissimâ observatione, quæ Doctissimi viri existimationem excitare videbatur, etiam, quam de ejusdem modestia Adversarius habuit, opinionis detrimentum fecit. Ecce jam objectio facta est, quæ momentum adversæ sententiæ ab Adversario credebatur, à qua ut se expediret, respondit, ab illa substanciali virtute accidentalem in Angelos diffusam esse, ne caderent, in hominem lapsum, ut resurgeret; quæ virtus diffusa est eadem in utrisque essentialiter, diversa accidentaliter. Gratiam accidentalem a Deo diffusam in homines Angelosque, etsi de ea nihil memoret textus, hactenus semper contendi; restat probare, an illa quoad vim effectricem eadem apud utrosque fuet.

fuerit, quod necdum probavit B., Porro quām parūm cibus & medicina accidentaliter tantūm differunt, tam parūm Angeli primāque hominis gratia a secunda. Item quām parūm virtus Baptismi adulti, in quo & peccata actualia cum originali delet, quoad vim effectricem differt a Baptismo infantis, in quo solūm congenitam ab Adamo maculam abstergit; tam parum intrinsecā virtute etiam accidentalī differret gratia primi & secundi Adam, si utraque vim effectivam operis haberet, etsi forte ob dispositionem subjecti una sanaret, non altera; uti jam in probationibus notavi. Est & alia responsio huc non incongruē accommodanda, etsi hic illam Berti non reddat. Universi itaque Angeli adhuc uniformi ruinæ involvi potuissent, nisi Deus a casu eos defendisset, non quidem validiore gratiæ præsidio necessario ad perseverandum muniendo, sed diutius in via relinquendo, ubi malo aliorum exemplō ac sollicitatione ad defectum induci potuissent. Quare Deus voluit, ut perseverando, ubi alii ceciderunt, viam consummarent, & in permansionis præmium cum magna charitatis abundantia in gratia confirmati, certā perennis statūs sui scientiā implerentur. Et quidem Angelos sanctos non fuisse a Deo majori gratiā sancte dilectionis cumulatos, nisi postquam aliis cadentibus, ipsi propriâ voluntate steterunt, diserte docet S. Fulg. l. de fide ad Petr. c. 3. B... verò, ut & pleraque testimonia & responsa solidiora, planè dissimulat; uti mox de S. Greg. M. referam.

2do.

2do. S. Greg. hom. 14. antiquioris editio-
nis, sed novæ l. 2. homiliarum in Ezech. hom.
2. *Unigenitus Patris*, ait, qui *surgens est firmitas*
Angelorum, ipse deorsum factus est redemptio ho-
minum: illis fortitudo, ne cadant, nobis adjutorium,
ut *surgamus*. Textus est similis illi S. Fulgen-
tii, eadem etiam sit responsio; cum enim om-
nia per Verbum facta sunt, eidem & collatio gra-
tiæ, & confirmatio in gratia adscribitur; quæ-
cunque demum illa gratia fuerit. Phrasim haud
absimili Aug. l. 11. de civ. c. 9. utitur, *siat lux..*
ait, *si recte in hac luce creatio intelligitur Ange-*
lorum, profectò facti sunt participes lucis æternæ,
qua est ipsa immutabilis sapientia Dei, per quam
facta sunt omnia, quam dicimus *Unigenitum Dei*
filium, ut *eâ luce illuminati, quâ creati, fierent lux.*
Ubi certè gratia increata significatur. Gregorii
nobis in doctrina gratiæ conciliati pignus habe-
mus in l. 5. Moral. c. 28. Ubi scribit. *Mirè au-*
tem omnipotens Deus naturam summorum spiritu-
um bonam, sed mutabilem condidit, ut & qui per-
manere nollent, ruerent, & qui in conditione per-
sistarent, tandem in ea jam dignius, quanto ex arbi-
trio starent, & eò majoris apud Deum meriti fie-
rent, quo mutabilitatis motum voluntatis statione
fixissent. Maluit testimonium a Berti palam de-
cantatum penitus racere B... quā infelicem
ejusdem tentare interpretationem, ne dicam,
veritati manus dare. Ex l. 25. Moral. c. 8. n. 20.
objicit nobis B... ubi legitur: *Notandum verò*
est, quod dum aliis cadentibus, alii solidari perhi-
ben-

bentur, electorum numerus certus & definitus ostenditur. B... putat, solidatos esse, ne caderent, nos post casum malorum solidatos aurumamus, & Augustini & Gregorii de mente jam antè certi.

Eodem modo & S. Bernardo, qui in Serm. 22. in cant. scribit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit sancti Angelo, ne labatur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens &c.* Si acquiescere nolit B... cogit invisam Patris Berti argumentationem instaurare. Si τὸ sicut omnimodam æqualitatem significat, ergo sicut sanando eruit captivos, sic defendit Angelos. Si non defendit sanando; quomodo eodem modo eruit & defendit? Herc sufficere non dubitans, Adversario, cujus memoria defecit, suggerendum putavi, de mente S. P. Augustini scrutandâ conventuī inter nos fuisse.

§. XIII. Adversarium vix a sua digressione, in qua alienas pulsando fores, ad evincendam causam Augustinianam, præsidia frustra implo-ravit, revocavimus; ecce denuo ad aliud tribunal. Doctoris Angelici provocamur. Tom. 6. p. 143. probat ex S. Thoma, in utroque statu hominem præter virtutem naturæ & gratiam originalem (addit B... p. 144. præter virtutes superadditas viribus naturæ) indigere Divino auxilio, ut ab ipso moveatur ad operandum & volendum bonum supernaturale; atqui (prosequitur B...) auxilium, quod requiritur in statu naturæ lapsæ ad bene agendum, nobis fa-

F

ten-

tentibus, est efficaciter prædeterminans, & speciale: ergo. Vanitatem hujus argumentationis ostensurus, sic prosequor: atqui auxilium, quod requiritur in statu naturæ lapsæ, fatente B... est sanans & speciale; ergo etiam in statu naturæ innocentis est sanans & speciale. S. Thomas hic nonnisi necessitatem gratiæ actualis pro omni statu probandam sumvit, ut supra Araus. II. §. XI. B... porro exigit ad agendum auxilium, quo moveatur, & quidem præter virtutes sanativas, juxta S. Doctorem; ast S. Thomas dicit tantum: *Ulterius in utroque statu indiget auxilio divino, ut moveatur ad bene agendum.* Deinde quid præter virtutes sanantes auxilium efficax requirit, cum passim & continuo oggerat, auxilium efficax hominis lapsi esse applicans simul & sanans? Num forte præter virtutes sanativas nova quoque virtus sanativa opus est, sicut dixit, præter auxilium applicans necessarium esse homini lapso auxilium sanans? Auxilium illud necessarium juxta S. Tho, non est auxilium sine quo (pergit confidenter & dictatoria sententiâ) illud enim supponitur. Sed unde hoc probat? Fucum demum facit, & ipse, quod Berti nostro male objicit, Lectoribus caligines offundit dicendo: Auxilium sufficiens ad bonum non movet. Quod si verum est, nec auxilium est supernaturale. Et quæsto, quid est, si motio ad bonum non est?

Hæc quidem non ad probandam propriam sententiam, sed ad infidelem ex S. Th. argumen-

mentandi rationem ostendendam , scripta ye-
lim ; neque enim in Thomistarum principia ju-
ravi , ut religioni mihi vertendum sit , si in ea
controversia , ubi illi ab Augustino , ego ab eis
discedam , uti etiam in causa reprobationis ne-
gativæ , pœnis parvolorum &c. Unde mirari
satis nequeo , inhumanum scribendi modum
Adversarii , qui cùm paulo antè Berti doctissi-
mum vocasset ; mox , quod prædeterminantem
gratiā in locis , ubi S.D. de statu & gratia inno-
centiæ differit , deprehendere nequiverit , illi
nugas & puerilem agitationem Quæstionis de
nomine objicit ; viro , inquam , cuius in lite-
rato orbe nomen illustrius , aut certè par est Ad-
versario ; modestia sine controversia major ; qui
cùm declinare cum reverentia dubiam aucto-
ritatem potuisset ; maluit explicare , quam sine
responsione & sollicitudine transmittere .

§. XIV. Pag. 145. Recoquit argumentum
suprà §. 2. elevatum ; finitimumque ex Enarr.
in Ps. 58. deducit ; ubi Aug. dicit , non posse
hominem homini esse meliorem , quam Deus
ipse homini sit. Essent autem homo & Ange-
lus sibi meliores , si a Deo tantum posse per-
severare , a seipsis actualem perseverantium ha-
berent : melius est enim perseverare , quam
posse tantum perseverare , ergo . & Aug. hanc
enarrationem post compertum Pelagii errorem ,
ut notatur in margine , scripsit , ubi in v. 17.
commentando hominem ingenti vulnere pericli-

tantem omnipotentis Medici misericordiā gratis præventum commemorat, sub finem verbis Pelagii objicit sibi: *Sed promerui te, invocando te?* R. det: *Ut essem, quid feci? ... si enim egi aliquid, ut essem, jam eram, antequam essem.* Porro si nihil omnino eram, antequam essem, nihil te promerui, ut essem. *Fecisti, ut essem, & non tu fecisti, ut bonus essem?* Dediti mibi, ut sim, & potuit mibi alius dare, ut bonus sim? si tu mibi dediti, ut sim, & alius mibi dedit, ut bonus sim; melior est ille, qui mibi dedit, ut bonus sim, quam illus, qui mibi dedit, ut sim. Porro quia nemo te melior, nemo te poterior, nemo te in misericordia largior; a quo accepi, ut essem, ab illo accepi, ut bonus essem. Idest, gratiam, qua bonus sim, tam formaliter & permanenter, quam etiam dispositive & causaliter, ut Scholæ loquuntur. Verbo: Aug. probare vult contra Pelagium, hominem non suis meritis obtinuisse gratiam tam creationis, quam sanctificationis. 2do. Loquitur de homine peccatis vulnerato. 3to. Argumentum simile est primo ex l. 12. de Civ. c. 9. de prompto; eadem igitur responsione dilui potest. Deinum licet plus meliusque sit perseverare, quam posse tantum perseverare sine actu; non tamen melius est, quam dare gratiam, in qua perseveretur, & gratiam, quacum facillimè in illa perseverare pro libitu quis possit. Vide quoque §. IV. P. II.

§. XV. S. Aug. de dono Persev. c. 13. urget acerrime illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quis te discer-*

discernit? quid habes, quod non accepisti? Et. at-
qui hoc principium extendit Aug. etiam ad An-
gelos l. 11. de civ. c. 19. ubi dicit. *Solus ille dis-
cernere potuit (Angelos) qui potuit, etiam prius-
quam caderent, præscire casuros.* In systemate
Jansenii & Augustinianorum (pergit B...) unus
Angelus habet a se, quo possit gloriari, & ab
aliis se discernere; æquali enim utrinque gra-
tiæ versatili unus suo assensu gratiam reddit effi-
cacem præ altero. ergo. B. Si B... legere vo-
luisset annotationem Coquæi quartaj ad cita-
tum caput; vidisset sanè singularem hic ab Au-
gustino expositionem editam fuisse, qua alijs
usus non est, ipseque Aug. ait se hujus textus, di-
visit Deus inter lucem & tenebras, non absurdam
sententiam ab operibus Dei allaturum, si per lu-
cem primò factam dicat Angelos creatos, &
per divisionem lucis ac tenebrarum, discreti-
onem & separationem sanctorum & immundorum
Angelorum intelligi. 2do. Aliam longè
discretionem intelligit Aug. in allegorica hac
expositione textus, quam B... Hic interpreta-
tur textus Augustini de discretione, qua aliqui
Angelorum lux, aliqui tenebrae facti fuerint;
Aug. textum scripturæ exponit de separatione
malorum & bonorum. Omnes dum creati sunt,
facti sunt lux; dum mali peccarunt, facti sunt
tenebrae; dum Deus illos detrudendo in aby-
sum separavit a bonis, divisit lucem a tenebris;
dum lucem in firmamento cœli posuit, confirma-
vit in gratia bonos Angelos. Potuit hoc facere

folus Deus, Angelosque ita dividere, qui potuit etiam praefire casueros & lumine privatos veritatis in tenebrosa superbia remansueros. Noluit quippe illis vel tempus, vel gratiam poenitendi largiri, vel ob inflexibilitatem voluntatis, ut Thomistæ docent, poenitentiæ incapaces erant, & ita in tenebrosa superbia remansuri; ideoque Angelorum aversorum a luce justitiae tetrorrimas mentes, a luce seu societate sancta Angelorum visit. Hanc allegoricam interpretationem divisionis lucis & tenebrarum Aug. dixit, non sibi videri absurdam.

Oraculum S. Pauli 1. Cor. 4. de lapsis infirmisque hujus statu mortalibus oportere intelligi, manifestis Augustini testimoniis juvat declarare 1. Ep. ad Valent. 1mā Scribit Aug. Dicit Apostolus: quis enim te discernit? quod ideo dicit: quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus &c. 2. de Cor. & gr. c. 7. Ab illa consperzione, quam constat esse damnatam... discernuntur non meritis suis, sed per gratiam Mediatores... Itaque cum audimus: quis enim te discernit?... ab illa perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere, neminem posse discerni, nisi hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia salvatoris accepit. n. 12. Et c. 12. Nunc vero postquam illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanae super-

superbiam præsumptionis extingueret , ut non glo-
rietur omnis caro coram ipso... Unde autem non
glorietur caro coram ipso , nisi de meritis suis , quæ
quidem babere potuit , sed perdidit : Et per quod
babere potuit , per hoc perdidit , id est , per liberum
arbitrium... Hinc est , quod in hoc loco miseria-
rum , ubi tentatio est vita hominis , virtus in infir-
mitate perficitur Quæ virtus , nisi ut , qui gloria-
tur , in Domino glorietur , ac per hoc nec de ipsa
perseverantia boni voluit Deus Sanctos suos in vi-
ribus suis , sed in ipso gloriari , qui eis non solùm
dat adjutorium , quale primo homini dedit , sine
quo... sed in eis operatur Et velle Et. Apertiora
hæc sunt , quām ut commentario indigeant ;
atque hoc convulso fundamento ruit illa ma-
china , cui Adversarius innitebatur.

Verū ne relinquere , quam suscepi . Ber-
tianam causam videar ; firmorem ejus ad hanc
objectionem responcionem judico , quām ut
eam integrā aggredi B... audeat . Juxta Berri
Aug. nititur ex Apostoli oraculo ostendere ne-
cessitatem gratiæ , ut distinctæ a donis natura-
libus ; non autem gratiæ victricis sine supposi-
tione vulneratæ per originale peccatum na-
turæ . Posset gloriari Angelus , si solā nativâ
virtute sanctitatem & perseverantiam compa-
rasset ; posset infirmus homo , si fractis viri-
bus , pugnâ sensuum laceritus , eādem , qua sa-
nus , versatili gratiâ posset bonum expedite
agere . Neuter omnino in se gloriari potest ,
quia uterque indiget gratiâ , cujus virtute per-

severet, quisquis perseverat; minus gloriari
infimus, qui potentiori sive ea, quæ dat ipsum
velle, indiget. Itaque hunc sola discernit gra-
tia, non sola sanum. Indiquerit homo sanus
ratiū alimento, non hoc sufficit ægro. Videt
ex his B... firmum adhuc esse in palæstra no-
stra, quod contra Molinæ sectatores, jactamus
telum; & quod contra nos torquet B..., debili-
lis instar arundinis confringi. *Gratia*, inquit
B..., quæ est communis bonis & malis, non disser-
nit bonos a malis. Hunc textum citat contineri
I. de nupt. & concup. c. 3. & de Prædest. Ss. c. 5.
Primum an secundum librum de nup. & con-
cup. intelligat, nescio. In secundo quidem non
inveni; in primo autem c. 3. habet: *Anima &*
corpus & quæcunque bona animæ & corporis na-
turaliter insita etiam in peccatoribus dona Dei sunt;
quia Deus, non ipsi ista fecerunt. In I. de Præd. Ss.
per gratiam communem bonis & malis intelli-
git Aug. bona naturæ, qua animantia sumus
rationalia, qua ingeniosi a stupidis, a deformi-
bus pulchri discernuntur, totamque naturam
qualemque supernaturalibus donis non ele-
vatum. Legatur, si placet, citatum caput, &
nihil a veritate alienum a me prolatum esse pa-
tebit. Et bene quidem de naturæ donis hæc
prædicantur; Gratiam enim Aug. communem
esse non dixit. Si ita arguisset Eremita ille Au-
gustinianus, fervidus opinionis Jansenianæ de-
fensor (hac nomenclaturā B... doctissimum
Berii insignivit) vœ illi!

§. XVI.

§. XVI. Forte robustius est, quod ab oratione petitur argumentum; quod ita B... instruit. Creatura innocens debebat orare & petere a Deo donum perseverantiae, & eo obtento illi gratias agere. *Quis enim audeat dicere aut credere*, ait Aug. l. 14. de civ. c. 17. *Iut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse?* Ergo petendum dictabat communis pietatis sensus. Hujus orationis neglectui lapsum Adae tribuit S. Gelasius P. ep. 5. ad Episcopos Picen. At in systemate Augustinianorum nec orare pro obtinendo perseverantiae dono oportebat; *Quid enim stultius*, ait Aug. de nat. & gr. c. 18. *quam orare, ut facias, quod habes in tua potestate?* Nec pro obtento gratias agere; *Nam non gratias agimus, sed agere fingimus, si unde illi gratias agimus, eum agere non putamus.* Scribit Aug. ad Vital. ep. 107. nunc 217. n. 7. R. I. Testimonium allatum in l. 14. de civ. c. 17. nec in Lovanien. nec PP. S. Mauri editione inveni; nec argumentum, quod ibi est de nuditate & verecundia primorum parentum, Angelis quo modo congruit. Falsarium elata voce declarent Adversarium fervidiora ingenia. Nihil tale a me audiet. Forte scribenti humanus error, forte Typographo obrepshit. Quoquo loco legatur, quod nobis opponitur, libenter concedimus; nec tamen, quidquid Deus absoluta potentia valet, continuo ab eo petendum sensus pietatis suadet, si ejusdem rei summam penes nos facultatem habemus. *Quis enim fa-*

nus & membris omnibus incolumis rogat, ut
sibi Deus manum (quis posse neget?) pedem-
que moveat? Neque petitam ex l. de nat. &
gr. ex ep. ad Vital. auctoritatem refugerem,
nisi Aug. contra eos stylum acueret, qui & pec-
cati vitandi & fidei procurandæ facultatem pe-
nes nativas liberi arbitrii vires esse tuebantur.
Affert B... hic contra nos testimonium S. Th.
I. p. q. 94. a. 4. ad 5. *Adæ non fuit in tentatione*
subventum, quia recursum non habuit ad Deum
pro obtainendo auxilio, quo perseveraret. Primò
quidem transmittere cum reverentia cogitave-
ram, eo quod ex Aug. unicè hanc causam sus-
cepit sustinendam; vicit tamen eadem reveren-
tia, ut, si minus ejus mihi auctoritatem conciliandam, saltem verba ab iniqua corruptione vin-
dicanda assumerem, vindicataque suæ restitu-
rem integritati. Videte ergo non esse conveniens
testimonium S. Thomæ & Adversarii. Hic illius
textum corruptit, objectionem cum responsi-
one confudit, laciniamque alienam (qua tamen
ad nos maximè exagitandos utitur) sententiæ
S. Thomæ assuit. Quærerit ibi S. Th. *Utrum ho-*
mo in primo statu decipi potuisset? objicit sibi isto
loco: *Nesciisset cogitationes bonum & futura*
contingentia; si igitur aliquis super his sibi falsum
diceret, deceptus fuisset. R. det. primus homo tan-
tum credidisset, quod hoc esset possibile... vel dici
potest, quod divinitus ei subventum fuisset. Nec est
instantia, quam quidam afferunt (en novam con-
tra ultimam solutionem instantiam) quod in ten-
tatione

tatione non fuit ei subventum, ne deciperetur; licet tunc maximè indigeret. (Sequitur responsum) quia jam præcesserat peccatum in animo, & ad divinum auxilium recursus non habuit. Sic finitur Art. quod ultimum exponi potest: divinum, quod unique ipsi tanquam justo non defuit, non est amplexus, utendo scilicet, auxilium. Conferat Benevolus Lector utrumque textum a B., & a me relatum, imò ad fontem exigat, & si quidem me imposuisse publico deprehenderit, falsarium divulget. Prò quoties, & quantà de novo moderatione opus est?

R. 2. Clarissimi Berti accommodata & extra cavillationem omnem posita est responsio; innocentem nimirum creaturam non debuisse orare oratione genitùs, supplicando pro ube- riori auxilio conferendo, sed oratione laudis gratias pro accepto agendo, ejusque conserva- tionem pétendo. Nova forte hæc distincțio, novus loquendi modus videtur? Non insuetus est Augustino. l. 3. ad Bonif. c. 3. legitur. *Gaudens in actione gratiarum... Gemens in allegatione orationum.* Quid autem B...? Gratiarum acti- onem & orationem laudis haud propriam orationis notionem sortiri contendit. Nisi ad rigi- dissimos Philosophiae apices orationis naturam vult exigere, sensum fidelium usúmque lo- quendi non planè rudium hominum requirat. Quid illis usitatius, quam hymnos, psalmos, cantica, quibus Dei Magnalia, nobisque ac Pa- tribus concessa beneficia elato præconio cum-

gra-

gratiarum actione recolimus, horásque Canónicas, quae maximam partem ex prædictis constan-
t, quibúsque quotidie templa resonant, pre-
cum nomine referre & celebrare? Ait libera-
lem ut me, nec nimis obstrepentem Adversa-
rius iterum sentiat, dabo, impro priam oratio-
nem esse gratiarum actionem ac laudem; nec
propriam Aug. requirit l. 6. oper. imp. n. 15.
*Apostolus dicit. oramus autem ad Dominum, nequid
faciat nisi malum.* *Quod si ita esset in potestate, quo-
modo fuit ante peccatum, priusquam esset natura
humana vitiata, non utique posceretur orando, sed
agendo potius teneretur.*

Nequidem necessum fuisset pro conserva-
tione auxilii deprecari, (instat B...) quod si
negatum fuisset, sine sua culpa Adam cecidi-
set. Quasi verò non omnis gratia] esset donum
gratuitum, liberaliter descendens a Patre lumi-
num; Aut quasi debita fuisset Adamo, quod in
Bajo improbant; aut non etiam pro conserva-
tione usùs rationis, intégritate sensuum, sine
quibus aut omnia aut aliqua Dei præcepta sine
nostra culpa non implemus, deprecandum non
sit. Quidquid demum sit, sive ab intrinseco effi-
cax perseverantiæ gratia esse debuerit, sive fue-
rit tantummodo ejusmodi Angelis concessa
gratia, ut facillimè cum ea perseverare potui-
sent, quod negare B... non potest, commu-
nem saltem Sancti Angeli cum aliis debuissent
Deo laudem & gratiarum actionem persolvere;
singularem vero pro gloriæ post perseveran-
tiā

riam collatæ magnitudine. Miror, Adversario videri; religionem p̄isque auribus horrorem per hanc responcionem excitari, qui non horrebat, in suis prænotationibus afferere, quæ citra gratiam specialem & sanantem per ordinariam providentiam auxiliumque solùm applicans geruntur, in Deum propriè non esse referenda.

Quid S. Gelasius sentiat, hæc ejus verba declarant: *Illa prima conditionis integritas dum ita de se fideliter tanquam eo, qui condiderat, non egeret.. Nec de perceptis gratias agendo, nec ut eadem intemperata durarent, suppliciter implorando.. in prævaricationem tracta &c.* Plura apud Bertii hic legenda, quæ B... tacendo probat.

§. XVII. Pro quinto principio refert B.. p. 147. plura Augustini loca, ubi cur unus, non alter in accepta justitia perseveret, ad inscrutabilia Dei judicia revocat; & ne hæc ad statum hunc limites, l. 11. de Gen. ad lit. c. 10. universim, adéoque de Adamo & Angelo dicit: *Posset Deus etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est; posset planè; cur ergo non fecit? quia noluit. Cur voluerit, penes ipsum est.* Breviter me his expedio, & R. Aug. cur quis non perseveret, absolutè respondet: *quia non est ex massa damnationis gratiae divinæ largitate discessus.* Si queratur, cur ex massa damnata unus, non alter perseveret, ad inscrutabilia judicia revertitur. Quid semper in hujusmodi supponat massam

massam damnatam , manifestum inde judico ,
quia de statu innocentiae , de quo modò Adru-
metini dubium moverunt , solum in l. de Cor.
& gr. ex professo tractat ; quibus Monachis re-
spondens , ad iudicia Dei , ut alias , non confugit .

Deinde potuerit sane , Deus quod non ne-
gamus ; sed conditio creaturæ innocentis non
exigebat efficaciter ad perseverandum præ-
moveri .

§. XVIII. Tandem cor & medullam sen-
tentiae Augustinianæ petit , ita arguendo . Si
motio per se efficax non esset necessaria in statu
innocentiae , ideo foret , quia tota ejus necessi-
tas ad actus supernaturales juxta Aug. repetitur
ab infirmitate naturæ lapsæ . Falsum esse con-
sequens probat ex universæ naturæ motu , quem
conditor providentiâ suâ conservat l. 5. de Gen.
ad lit. c. 20. 2do. Ex electione Saulis & David
in Reges , quæ actio est merè civilis c. 14. de
cor. & gr. 3to. Ex mutatione Regis Assueri ab
indignatione ad mansuetudinem l. 1. cont. duas
ep. Pelag. c. 20. 4to. Ex his civilibus naturali-
busque mutationibus infert Aug. Dei potesta-
tem in voluntates hominum . de Præd. Ss. c. 20.
5to. Inviçtam Dei voluntatem esse contra om-
nes voluntates sive Angelorum , sive homi-
num . 6to. Comparat animam sub motione Dei
frameæ , quam manus bellatoris pro libitu ro-
tat . Atque haec exempla probant pro omni
statu & conditione creaturæ despoticam Dei
pote-

potestatem; præsertim quod divina voluntas sit prima & suprema causa omnium corporalium & spiritualium motionum. l. 3. de Trin. c. 1. His ergo concatenatis arietibus B... systematis nostri fundamenta eversum iri confidit, sed l. 4. c. 6. Patris Berti responsis explicatib[us]que jam præcipuum robur confractum jacet. Itaque & ad 1.6. & ult. vult ibi Aug. quod Divina providentia totius universi ordinem pulcherrimè instituerit, sua quibusque creaturis munia, pro munerum diversitate vires diversas accommodatissimasque aptaverit, quas conservando & continuo cum iis concurrendo sine cessatione operatur. Ad 2 & 3. Electio Saulis & Davidis, ac mutatio Assueri incircumspectæ Dei potestatis, quandocunque exercere voluerit, documenta illustrissima sunt; quamquam & in animis subditorum aliqua interdum bona voluntas supernaturalis inventa fuisse dicitur apud cit. Berti. 4 & stut. assumitur ab Augustino ad probandam contra Semipel. divinæ potestatis excellentiam, quæ sicut facere potuit, ut populi libere se Regibus prædictis subjicerent, ita &, salvâ hominum libertate, ad supernaturales actus movere possit, nullamque esse creaturam tam sublimem docet, cuius resistentia invicta Dei voluntas possit retardari. Hæc nostræ sententiæ defensores non inficiantur. Aliud est Deum posse efficere, quodcumque & ubicunque voluerit, & interdum etiam extraordinariâ providentia efficere, aliud efficiacem

cacem motionem Dei esse ubique absolute necessariam. Aug. ut suam de gratia doctrinam ex omni parte validissimè circumvallet; evincit primò ex Ss. lit & præfertim S. Paulo gratiam hujus statū operari velle & perficere, adeoque naturā suā efficacēm esse. 2do. Necesitatem hujus tam efficacis gratiae lapsis hominibus præ innocentī creaturā probat ex infirmitate naturae. 3to. Quod hæc efficax gratia liberissimam, fortissimam, invictissimam perseverantissimāque parere voluntatem c. 8. de cor. & gr. possit, ex illimitata & non impedibili Dei potestate & virtute, ex gestis omnino admirabilibus elucente tuetur. Alibi quoque jam significavi, solemnem Thomistis argumentationem Augustino vel incognitam, vel inusitatam fuisse. Quomodo voluntas Dei sit summa & prima causa omnium corporalium & spiritualium motionum interprete Augustino discere citato libro 3to de Trinit. c. 4. n. 1. & sent. 58. S. Prosperi B... potuisset, ubi legitur: Nihil enim fit .. quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur secundum inefabilem justitiam præriorum & pœnarum;

§. XIX. Quid, inquit, nulla in Christo efficax, nulla filii in matre gratia, nulla gratuita prædestinatio fuit? Ubi autem infirmitas, in quos nulla labis originariæ transfusa est fæditas? R. Habuit sane Christus non necessitate naturae, sed præcellentia Capitis prædestina-

stinorum, ob participationem Ecclesiæ, quam
 acquisivit sanguine suo. Non esse id omnino
 necessarium in morali Corpore, B... excipit,
 ut, quam in membra influat, ejusdem vitæ ra-
 tio in Capite præexistat. Ne repugnem con-
 tentiosius, sufficit mihi convenientissimum
 fuisse, ut, sicut in corpore physico eadem phy-
 sica, ita in morali eadem vita moralis capitum
 & membrorum inveniatur. De Christo ac-
 quiescere videtur B... Ast quid de B. Virgi-
 ne, ait, respondebit Berti? Responderet for-
 san, sicut illa filia Adæ, quod debito naturæ
 incurrere debuerat, Parris Maledictum ne por-
 taret unquam, privilegio favoris præcipui,
 nullique præter ipsam ob Maternitatis Divinæ
 prærogativam concessi, provisum est: ita eo-
 dem privilegio non, sicut reliqui, a labe pur-
 ganda, sed præservanda, prædestinata est intui-
 tu meritorum Filii. Item sicut illa Christi san-
 guine non abluenda, sed exornanda redempta
 est, ita tum ob excellentiam Matris Dei subli-
 mius elevandam, tum ob statum, quo vixit,
 rationem majorēmque cum Filio conformita-
 tem, simili cum Filio gratiæ fas erat illam con-
 fecrari. A privilegiis autem ad vulgarem mo-
 dum non est facienda consecutio. R. 2. Sicut
 gratiam Christi, hoc est, Medicinalem non
 exegit illius naturæ status, sed tantum appli-
 cantem juxta Thomistas; & tamen gratiam
 Christi habuit; ita participavit gratiam efficac-
 em, quanquam eâ non absolutiè eguerit. De-

G

mum

mum primam fortè gratiam, quæ pro toto illo innocentiae statu instituta est, non erat conveniens, propter unius personæ conditionem instaurare.

Urget, ad aliósque infirmitatem concupiscentiamque non esse extendendam instat. Concupiscentia enim, quæ actu non stimulat, non est magis impedimento ad actum virtutis, quam si omnino non esset; sed regeneratus appetitus inferioris tentatione interdum non stimulatur, ait Aug. l. 6. cont. Jul. c. 19. ergo nec propter concupiscentiani omnibus lapsis danda est gratia efficax, quod fatentibus Augustinianis falsum est. Verba Augustini cit. l. n. 60. refero; ex iis de fide Adversarii nostri Lector judicet. *Carnis concupiscentia*, ait Aug. actu manet, non quidem abstrahendo & illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo & pariendo peccata; sed mala, quibus mens resistat, desiderie commovendo. . . . Non semper est desiderium, contra quod pugnemus, sed si tunc non est, quando non occurrit, quod concupiscatur, sive animo cogitantis, sive sensibus corporis; fieri potest, ut insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota. . . . Cum vero occurrit, quod concupiscatur, nec desideria mala, nobis etiam nolentibus, commoven- tur, perfecta sanitas est. Subsumo: sed jam perfecta sanitas non est, dicente Aug. Num quia deleta iniquitas est, finita infirmitas? ergo pulsante tentatione objecto que concupiscibili proposito, rebellat concupiscentia, & repugnat mentei

menti conanti ad opus supernaturalis ordinis.
Si non pulsat tentatio, nec opus est victoriâ,
nec observatione præcepti adeoque nec effi-
caci gratiâ opus esse, sanus quisque dicer, quam
non nisi ad actum requirimus.

§. XX. Denique propriis antilogiis sy-
stema nostrum ceu hostibus domesticis sub-
vertendum putat B. . . . Prima ipsi antilogia
est, Prædestinatio gratuita pro hoc, non pro
statu innocentiae. Secunda, discrimen auxilio-
rum, ubique eâdem militante causâ nempe
omnipotentissimâ Dei voluntate. 3tia. Scien-
tia Media ad statum innocentiae adoptata, pro-
scripta ab isto. 4. Statuum, auxiliorum, præ-
destinationis diversitatem Augustino auctori
adscribimus, dilucidissimè l. de Cor. & gr.
traditam, & omnino necessariam putamus,
facileque ex definitione Prædestinationis, quæ
massam damnatam supponit, colligimus, ex l.
de dono persev. c. 7. &c. Scientiam Medium,
sepositâ lite de nomine, an & qualem admittat
Berti ac nos cum ipso, ex l. 4. ejusdem c.
10. sine obscuritate leget. L. sexto c. 10. dilu-
cidatam quoque invenier rationem illam: qui-
cunque ordinatè vult, priùs vult finem, quâm
media, quæ superfluum est hic retexere.

Sub finem, quandoquidem B. . . antilo-
giis nobiscum contendere cœpit, quasdam ei
manifestiores opponimus. I. p. 158. tomo 6.
dicit per adjutorium sine quo auxilium suffi-

ciens significari, p. verd 162. totum hoc intel-
ligi, de quo differuit (opinor); differuit au-
tem de applicante & sanante gratia, utraque
efficaci. 2. Gratiam applicantem vocat con-
cursum generalem, nec tamen data est Adam &c.
3. Augustinum de gratia sanante loqui, & se-
ponere a disputatione sua gratiam omni statui
necessariam; cum in l. de Cor. & gr. expresse
de utriusque statu auxiliis tractet. 4. p. 164.
dicit: non omnis gratia efficax est ex se sanati-
va, sed illa fortior tantum; unde gratia pri-
mi hominis fuisset per se efficax respectu na-
ture sanæ, non infirmæ, nisi virtute superad-
ditæ. Si autem per se efficax est, quomodo
respectu infirmæ naturæ efficax non esset? nunc
quid quia medicinalis non erat? videtur potius
dicendum fuisse; gratia per se efficax primi ho-
minis fuisset etiam efficax respectu hominis in-
firmi (utpote gratia efficaciter applicans) sed
non fuisset sanans. 5. tom. 2. p. 137. scribit:
gratiam habitualem esse naturæ lapsæ reparati-
vam, & tomo 6. p. 162. justificatum per gra-
tiam esse causam infirmam & specialissimo au-
xilio sanante indigere, ut perseveret; & p. 144.
præter virtutes sanativas gratiam efficacem,
sanantem utique requirit. 6. p. 157. carpit
Augustinum implicitè, dum Augustinianos car-
pere velle videtur, & p. 173. eundem excusat.
7. Dicit, denegatum fuisse Adamo auxilium ef-
ficax ob culpam tempore concomitantem, na-
turæ præcedentem, cum tamen actio mala,

ad

ad quam indivulgè annexa sequitur malitia, naturà posterior sit actione Dei ad illam præmonente. Deinde quid opus est argutiâ hac? cùm B... pro dispositione ad malum & flexibilitatem voluntatis & supremum Dei dominium alibi assignet. Ergo non ex parte hominis opus est, dispositionem adstruere.

Plura fortassis peritioribus viris videbuntur aut accuratiùs expendenda, quædam presfiùs scribenda, quædam distinctiùs exprimenda; sed ego de sensu Augustini satis declarato securus, minutias captare superfluum duxi; limam autem his scriptis adhibere, horum diem, quorum subsecivas horas huic labori consecravi, angustiæ haud permittebant.

Atque hæc quidem defensionis jure pro vindicanda Augustini, non aliorum sententia impugnanda scripta sunt; nec per ea de Clarissimi Adversarii, in aliis præcipue materiis, existimatione quidquam detraictum velim.



POSITIONES SELECTÆ
EX TRACTATIBUS
DE DEO UNO, TRINO, ANGE-
LIS ET GRATIA.

§. I.

DE DEO UNO.

1. Cuilibet homini est probabilius conge-
nita Idea Dei. 2. Cùm verò istud
apud omnes in confessio non est , exis-
tentia Dei à posteriori demonstranda est.
3. Nequit in adulto esse invincibilis ignoran-
tia existentiae Dei. 4. Etsi essentia physica
Dei in cumulo omnium perfectionum consti-
tui possit ; 5. Metaphysica tamen , nec in in-
finite , nec intellectione sive radicali , sive
actuali ; sed 6. in Esse absolutissimo à se con-
sistit. 7. Unus est tantum Deus. 8. Origo
Polytheismi male ad Enos aut Hebræos , sed
rectius ad Chami posteros refertur. 9. Cultus
Vitulorum in deserto , in Dan & Bethel nequit
purgari labe idolatriæ. 10. Inter naturam ,
relationes & perfectiones Divinas non inter-
cedit distinctio realis , nec formalis ex naturâ
rei ; 11. ast tantum distinctio rationis. 12. In-
tellectus creatus ad videndam claram Dei Es-
sentiam indiger lumine gloriae. 13. Quod non
est

est qualitas physica, mortua, absoluta realiter
à mente distincta. 14. Nulla creatura etsi su-
perno irradiata lumine potest Deum proprié
comprehendere. 15. Enoch & Elias proba-
bilius necdum Divino perfruuntur conspectu.
16. Oculo corporeo etiam glorificato non
posse Divinam videri essentiam S. Augustinus
constanter asseruit, & auctoritate ac ratione sta-
bilivit. 17. Sententiam verò de Beatorum
corpo in spiritum mutando pro suâ mode-
stia definire noluit, non tamen probavit. 18.
Regnum mille annorum est figuramentum Ce-
rynthi, nec illud à Papiâ licet tolerabilius in-
troductionem probari potest. 19. Animæ plenè
purgatæ ante extremum judicii diem clarâ Dei
visione perfruuntur. 20. Joannes XXII. etsi
in adversam propendere sententiam videbatur,
eandem tamen nec ut privatus Doctor assertivè
docuit, minus ut dogma fidei definivit. 21.
Catholico dogmati de præsenti animarum bea-
tudine non adversantur Ss. Ambr. Aug. &
Bern. 22. Inæqualis est Beatorum pro meri-
torum diversitate gloria. 23. Futura omnia;
antequam essent, erant in Dei scientiâ, nec erant
in suâ naturâ. Aug. l. 5. de Gen. ad lit. c. 18.
id est, non erant Deo physicè præsentia ab
æterno. 24. Deus videt creaturas in seipso &
in ipsis. 25. Non prædeterminat mala culpæ
quoad substantiam operis sive materiale pecca-
ti. 26. Futura libera ordinis supernaturalis
pertinentia ad statum naturæ lapsæ Deus præ-
videt

videt in absolutâ eorum prædestinatione. 27. Non datur scientia media inter scientiam simplicis intelligentiae & visionis, ab utrâque distincta. 28. Deus suam bonitatem amat necessariò tam quoad speciem, quam exercitium; plenâ tamen libertate fertur in creaturas. 29. Deus voluntate antecedente vult omnium hominum salutem, non consequente. 30. Nemo nisi prædestinatus salvatur. 31. Prædestinatio sumta pro proposito aliquos præ aliis salvandi nullam ex parte nostrâ meritum, nec conditionem supponit; sed est merè ex gratuitâ Dei voluntate. 32. In decreto gratuitæ prædestinationis prior est prædestinatio ad gloriam, quam grariam. 33. Prædestinatorum electio fit ex meritis Christi. 34. Effectus prædestinationis sunt Vocatio, Justificatio, Glorificatio &c. 35. Prædestinatorum numerus certus & definitus est. 36. Nemo sine speciali revelatione habet physicam de suâ prædestinatione certitudinem. 37. Nulla fuit, Augustino superflite, in Monasterio Adrumetensi hæresis Prædestinationorum. 38. Gothescalcus probabiliter Prædestinatus non fuit; licet causam veram imprudenter defenderit. 39. Reprobatio positiva tam Angelorum, quam hominum adultorum fuit ex prævisis propriis demeritis. 40. Negativæ causa est peccatum originale, saltem remotè & radicaliter.

§. II.

§. II.

DE DEO TRINO.

41. Mysterium Ss. Trinitatis lumini naturali impervium 42. Luculentis Ss. Scripturæ testimoniis comprobatur. 43. Tres divinæ personæ sunt unus Deus. 44. Versus septimus ep. I. Joan. c. 5. genuinus est. 45. Conc. Nicæno , annuente Pontifice per Constantinum convocato , Sylvester per suos legatos præfuit. 46. Ejusdem symbolo convenienter vocabulum ὁμοστοιχ insertum est. 47. Liberius Papa primæ tantum Formulae Sirmensi contra Photinum editæ subscriptis. 48. PP. Ariminenses nunquam hæresi Arianae subscriptis. 49. Conc. Constantinopolitanum tanquam œcumenicum quo ad symbolum fidei semper fuit in Ecclesiâ receptum. 50. Duæ in divinis processiones nempe Filii & Spiritus sancti admittendæ sunt. 51. Quorum principium non est sola natura, nec sola hypostasis; sed utraque. 52. Filii processio est generatio, non Spiritus S. quid autem inter nasci & procedere intersit, quis explicare potest? Aug. l. 3. cont. Maximinum. 53. Spiritus S. etiam à filio procedit. 54. A quo nisi procederet, non distingueretur. 55. Jure itaque Symbolo Nicæno-Constantinopolitano hæc particula Filioque addita est.

§. III.

DE ANGELIS.

56. Dari Angelos fides docet, ratio non evincit. 57. Sunt substantiæ spirituales oranis

corporis physicè uniti expertes. 58. Non tam
en hoc definitum in VII. ecumenico , nec
in IV. Lateran. putamus. 59. Non repugnat
plures Angelos esse ejusdem specie; Imò con-
formior est Patribus sententia, eosdem non nisi
dignitate & munere & similibus accidentibus,
non naturâ inter se discrepare. 60. Non sunt in
loco per operationem , quæ præsentiam ope-
rantis supponit. 61. Peccaverunt primò super-
biâ , non divinitatem appetendo , sed à supe-
riori bono ad propria deflectendo. 62. Tor-
quentur mali Angeli igne perpetuo. 53. Eum-
que ignem esse corporeum Augustinus aperte
docuit. 64. Ordo ille , quo primo loco Seraphim,
2do Cherubim &c. statuuntur, non nisi
probabiliter adstruitur. 65. Ex quovis ordine
mitti quosdam à Deo, Scriptura perhibet. 66.
Angelus custos cuivis fidelium , & probabiliter
etiam infidelium assignatus est.

§. IV.

DE GRATIA.

67. Pelagiani gratiam habitualem , non eo
tamen , quo debet , sensu admisere. 68. Pressi
catholicorum argumentationibus præter legem
& doctrinam internas illustrationes , & tandem
gratiam voluntatis non quidem gratuitam , nec
tanquam absolutè necessariam , sed ad facilius
operandum confessi sunt. 69. Gratiam ad ini-
tium fidei necessariam esse S. Augustinus con-
tra semipel. invictè demonstravit. 70. S. Joan.
Chry-

Chrysost. illiberaliter Semipelagianismi postulatur, quem antè præfocavit. 71. Nemo potest se naturæ viribus positivè ad gratiam præparare. 72. Pactum inter Christum & Deum dandi gratiam facienti, quod est in se per vires naturæ, ut mitissimè dicam, absque ullo gravi fundamento afferitur. 73. Lutherus, Calvinus, Bajus & Jansenius quoad errores circa gratiam habent diversam faciem, sed cædam ad invicem colligatam; quare posteriorum errores in prioribus rectè prædamnati dicuntur. 74. Gratia actualis est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus. Aug. l. 4. ad Bonif. c. 5. 75. Gratia efficax est viætrix delectatio. 76. Non est eadem in omnibus, sed habet gradus suos, unde ea respectu unius est efficax, quæ respectu alterius inefficax remaneret. 77. Justis præter gratiam sanctificantem adjutorio actuali ad operandum opus est. 78. Creatura innocens non indiguit ad perseverandum, & consequenter nec ad opera supernaturalia adjutorio quo sive gratiâ ab intrinseco efficaci. 79. Homo autem lapsus, ut cum effectu velit bonum supernaturale, propter infirmitatem, debet efficaciter adjutorio, quo fiat, ut velit, præmoveri. Utrumque apertissimè tradit Aug. de Cor. & gratia. 80. Objecta nobis difficultas conciliandi gratiam per se efficacem cum libertate, character haud obscurus sententia Augustinianæ est. *Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis.* Voluntas

tas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem. c. 8. de Cor. & gr. 81. Datur præter gratiam efficacem gratia interior, cui resistitur, quæ phrasí apud schoolas receptâ SUFFICIENS nuncupatur. 82. Christus pro omnibus mortuus, omnibus sufficientia salutis remedia præparavit & exhibet; 83. Ab omnibus autem utrūcunq[ue] excæcatis & obduratis, atque infidelibus præparata misericorditer remedia actu semper recipi, de fide non est. 84. Neque est necessaria ad imputationem peccati præsens gratiæ inspiratio. 85. Parvulis quibusdam unicum salutis remedium, Deo no[n]lente, non applicari, indubitata Augustini non uno in loco doctrina est. 86. Justis verò ceterisque fidelibus auxilium saltem remotè sufficiens ad implenda mandata denegare, Jansenianum est. 87. Homo lapsus nequit solis naturæ viribus Deum ut auctorem naturæ amore casto super omnia diligere, nec totam legem naturæ implere. 88. Non requiritur ad opus moraliter bonum fides & gratia habitualis. 89. Etsi multa infidelium opera, si officium spectes, decus laudis habeant, plerūmque tamen germen inutile sunt. 90. Præticè & per se loquendo homo lapsus propter vitium elationis nullum opus morale undequaque bonum sine gratiâ peragit. 91. Siquid verè bonum in infidelibus deprehenditur, id quoque divinæ gratiæ tribuendum est. 92. Potest justus cum ordinariis auxiliis brevi fortè tempore omnia venialia; 93. Non tamen totâ vitâ sine spe-

speciali gratia vitare, qualem B. V. Mariæ concessam esse tenet Ecclesia. 94. Perseverantia finalis est in homine lapsō donum speciale. 95. Quinque Jansenii proscriptas propositiones sincerè damnamus & totidem oppositas ex Augustino tuemur. 96. DE GRATIA HABITUALI. In justificatione peccatoris non solūm teguntur, sed vere delentur peccata; 97. Non per imputationem justitiae Christi, sed per formam intrinsecam. 98. Quæ forma sive gratia non est distincta à charitate in cordibus nostris per Spiritum S. diffusâ. 99. Fides requisita ad justificationem non est fiducia, quâ credimus, peccata nobis esse per Christum remissa. 100.

S. Paulus ad Rom. scribens; justificari hominem gratis, non excludit opera gratiæ.



obris dierum

pomorum dierum, non - excedit

caus sopus illis - ter Cidemus, tamquam

desponsorum non si nubes, tamquam

zimmo E. quibus, et se fera a deo in se

timiditas s - tamquam in cibis que sunt

timor. Quod potius non datur, non ha

timiditas, et Quid potius non datur, non ha

